

des

AV 16 1931

55

120. 55

Med. through

S 7


No. 72761



Presented  
to the  
**Library of the  
Medical Society  
of the  
County of Kings**  
by  
EXCHANGE  
(UNIVERSITY LIBRARY OF  
UPPSALA)

MAY 23 1931

TRACTATUS II.  
DE  
VARIOLIS.  
AUTORE  
MARCO ANTONIO  
PLENCIZ,  
MEDICO VINDOBONENSE.



---

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆSAR. REG.

APOST. MAJEST. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOT.

MDCCLXII.

516483-2

516483

UNIVERSITY LIBRARY

STATE OF KAR

OF MOPRA



12 NOV 1999

199916369

AC/CS/8

# PRÆFATIO AUTORIS

## Ad Tractatum de Variolis.

 ateries de variolis adeo  
jam a quam plurimis  
Eruditissimis Viris trita  
hucusque fuit, ut me-  
tuam, ne de his acturus actum  
agere cuiquam videar.

Verum tamen *hoc non obest,*  
( dicit Erudissimus D. Werlhoff  
in Præfatione de novitate vario-  
larum ) *quo minus indoctior quis-*  
*quam facta rei alicujus curiosiori*  
*inquisitione in virorum doctissimo-*  
*rum conjecturis aliquid nonnunquam*  
*inveniat, ubi rem acu tetigisse baud*  
*videntur.*

Etenim cuilibet in praxi medica  
versato notum est, multa, quæ  
tam æthiologiam, quam patholo-  
giam atque Therapeuticam vario-  
larum præcipue malignarum con-

cernunt, adhuc desiderari, quibus  
neque ego, neque quisque alias  
tam facile satisfacere valet.

Interea confido, atque spero,  
fore, ut benevolum Lectorem la-  
boris, quem in lectione hujus de  
variolis Tractatus impendet, non  
pœniteat.

In adjunctis observationibus tam  
in hoc, quam in sequente de Scar-  
latina Tractatu nomina ægrotorum,  
maximam partem expressi, ut quis-  
que ingenuus Lector, has non con-  
fictas aut ad propriam hypothe-  
sim, ut fieri solet, ornatas judicet,  
sive suspectas habeat.

Reliqua benigno Lectori diju-  
dicanda relinquo. Vale.

Se.



*Series rerum notabiliorum, quæ in  
Tractatu de variolis continentur.*

## CAPITE I.

I.

**C**ommunis & erronea est celebrum etiam Medicorum opinio, variolas & morbillos secundum magis & minus tantum differre. Unde resultat, ut minus apposite variolas & morbillos, tam quoad etbiologiam quam pathologiam una eademque fidelia pertractent. Vide §. 1. 2. 3.

A 3

II.

---

II.

*Respondetur illi famosæ quæstioni: num scilicet variolæ omni ævo græssatae fuerint, aut quando græssari ceperint.* 4. 5. & 6.

---

III.

*Ostenduntur seminia variolosa semper & omni ævo in rerum natura extitisse.* 7. 8. 9.

---

IV.

*Arabes nobis primi seculo 12. accuratam & adæquatam exhibuere variolarum descriptionem 10.*

---



---

## CAPITE II.

---

V.

*Afferuntur variolarum divisiones & differentiæ. His tandem subjungitur eorum descriptio, & definitio.* 11. 12. 13. &c.

---

VI.

## VI.

Necdum evidenter demonstratum est,  
quid sit & in quo proprie consistat febris.

24.

## VII.

Exponuntur quædam singularia, & quasi  
anomala symptomata, quæ quandoque va-  
riolas præcedere solent. 27.

## VIII.

Exhibentur communiora symptomata,  
quæ variolas præcedere, concomitari, &  
subsequi solent. 28. 29. &c.

## IX.

Quamvis variolæ tempore æstiva gra-  
fantes plerumque benignæ, illæ vero, quæ  
piemem obtinent, maximam partem mali-  
gnæ obseruentur; apud nos tamen aliquot  
ultimis epidemiis contrarium obtinuit.

## X.

Adducuntur epidemiæ variolarum tam  
benignarum, quam malignarum, quæ bis  
Viennæ intra 30. fere annos obserabantur.

38. 39.

A 4

## XI.

## XI.

*Item symptomata, quæ in variolis malignis miliaria præcedere solent, ex quibus miliaria futura expertus medicus prædicere potest.* 40.

## XII.

*Talia miliaria raro critice, sæpius tamen symptomatice variolis accedere solent.*

42.

## XIII.

*Idem intelligendum est de miliaribus, aliis morbis acutis, inflammatorii, ut pleuritidi, peripneumoniæ, supervenientibus.*

44. 45.

## XIV.

*Funebrisissima variolarum epidemia, quæ ultimis bis annis Viennæ observabatur, fuit illa, quæ annis 1745. & 1746. multos e medio sustulit.* 47.

*Unde bæc parumper distinctius exponitur* 48. 49. *Item discutitur, an variolarum malignitas, quæ aliquando observabatur, regimini calidiori, perversæque*

me-

medendi methodo , aut ipsi epidemiac attribuenda sit. 53.

---

## CAPITE III.

XV.

**H**ic afferuntur & rejiciuntur , diversæ de variolarum origine , natura , causisque opiniones. 54.

XVI.

Verum neque Arabum medicorum opiniones , variolas a sanguine menstruo derivantium , neque Listeri , Mead , aliorumque tales a morsu alicujus bestiolæ , deducentium , subsistere possunt. 56. 57.  
&c.

XVII.

Multo minus illorum sententia admittenda est , qui variolas a capsulis atrabilariis , aut a certis salibus sive acidis , sive alcalinis , sive neutrīs , aut qui a certis fermentis , derivare conantur. 58. 59.

A 5

XVIII.

## XVIII.

Quamvis sententia Eruditissimi & Celeberrimi Domini de Hahn, Consiliarii Regii, nuperrime publici juris facta, magnam & profundam in Autore eruditatem præ se ferat, non respondet tamen origini & naturæ variolarum. 62. 63. 64. &c.

## XIX.

Tandem affertur propria de variolarum origine, natura, & causis saltem materialibus, sententia. 71. 72.

## XX.

Hæc rationibus corroboratur, & ab adversariorum injuriis vindicatur. 73. 74.

## XXI.

Multiplicatio & propagatio putredinis fit per multiplicationem animalculorum. 75. 76.

## XXII.

Demonstratur putredo esse effectus, & non causa alicujus rei. 78. 79.

## XXIII.

Cum variolæ nunc magis benignæ, nunc magis

---

---

CAPIT. ET PARAGRAPH. II

---

*magis malignæ graffentur, queritur, an  
earum seminia inter se differant.* 81. 82.

XXIV.

*Miasma variolosum videtur primario  
petere, & afficere genus nervosum.* 83.  
84. &c. XV.

*Tale miasma variolosum potest diu, quin  
imo a nativitate corpori inesse.* 86. 87. &c.

XXVI.

*Hic afferuntur illa, quæ ad prognosim  
variolarum spectant.* 90. 91.

---

CAPITE VI.

XXVII.

**H**ic formantur indicationes, quæ pro  
diverso variolarum stadio, etiam di-  
versæ esse debent. 101.

XXVIII.

*Afferuntur remedia, quæ immediate in  
miasma variolosum agere possunt; quæ sal-  
tem*

tem illud ita disponere dicuntur, ut variolæ  
benignæ exsurgant. 103.

XXIX.

Pblogistica humorum constitutio in va-  
riolis, videtur differre ab illa, quæ in aliis  
inflammationibus observatur. 104.

XXX.

Unde patet, quare nec discuti, nec dis-  
sipari sine suppuratione possit, ut in aliis  
inflammationibus saepe contingit. 105.

XXXI.

Exponuntur remedia, quæ in pblogisti-  
ca humorum constitutione conveniunt. 109.

110.

XXXII.

Alia debet esse ratio medendi in infan-  
tibus, & alia in adultis; item alia in va-  
riolis discretis, benignis, & alia in ma-  
lignis, & confluentibus. Quapropter male  
a quibusdam practicis remedia, quæ in be-  
nignis proficere observant, tanquam specifi-  
ca in malignis depraedantur. 112.

XXXIII.

## XXXIII.

*Venæ sectio in quibus casibus celebrari, aut omitti, & qua quantitate institui debet. 116. 117.*

## XXXIV.

*Quæ cautelæ ratione nitri, & paracororum in infantibus adhibendæ sint. 118.*

## XXXV.

*Remedia volatilia, variolas a centro ad peripheriam pellentia non facile in usum vocanda. 120.*

## XXXVI.

*Affertur casus, qui quoad similia remedia adhibenda facile imponere potest, quæ, si adhibeantur, gangræna & mors acceleratur. 121.*

## XXXVII.

*In similibus casibus sanguinis missio, & remedia antiphlogistica, omnibus aliis præferuntur. 122.*

## XXXVIII.

## XXXVIII.

*Adducuntur casus in quibus lenia volatilia adhiberi possunt. 123.*

## XXXIX.

*Nitrata, paregorica & sanguinis in debita quantitate detractio in adultioribus, quamvis variolæ benignæ futuræ videantur, in usum vocanda sunt. 127.*

## XL.

*In confluentibus, anomalis, malignis que variolis, quamvis omnia, quæ in benignis secundo cum effectu adhibentur, in usum vocentur, nihilominus tamen non satisfaciunt. Quapropter alia procedendum erit via. 128. 129.*

## XLI.

*In variolis malignis repetitæ veneæ selectiones perquam necessariæ sunt; quæ fere omni tempore morbi urgente necessitate institui possunt, & debent. 132. 133.*

## XLII.

XLII.

Hoc assertum experientiis & autoritatibus corroboratur. 136. 137. &c.

XLIII.

Adstruitur regimen, quoad alias res non naturales in variolis observandum. 138.

XLIV.

Si suspicio sit, in primis viis bærere humores peccantes, isti debent per lenia evacuantia antiphlogistica e corpore dilui, & ablui. 140. XLV.

Si malignitas tanta adsit, ut ordinariis antiphlogisticis domari non possit, debemus al corticem peruvianum configere. 141.

XLVI.

Affignantur regulæ de exhibendo in similibus casibus cortice, qui in infantibus, assumptioni remediorum obstantibus, in clysmatibus injici poterit. 143. 144. &c.

XLVII.

Hydrogala, quæ e tribus aquæ puræ partibus, & una lactis, invicem mixtis,

&

Et coctis, Et sufficiente quantitate sacchari constat, omnibus aliis potionibus diluentibus Et lenientibus præfertur. 148. 149.

## XLVIII.

Quomodo cutis emolliri, Et laxari debet, ad hoc, ut facilior fiat variolarum eruptio, Et benignior eariundem suppuratio. 157. 158.

## XLIX.

Fit mentio specialis variolarum epidemie, in qua sanguis non est spissus, Et lardaceus, sed dissolutus, diffluens. In hac prodest spiritus vitrioli, aliaque subacida, Et subausta. 160. 161. Et c.

## L.

Quid tandem notandum sit de usu mercurii in variolis? 163.

## LI.

Exponitur Clarissimi Gundelshaimeri methodus tractandi variolas. 169.

## LII.

Sequitur methodus, qua Arabes variolis medebantur. 171.

## LIII.

## LIII.

*His adjungitur Celeberrimi medici Bayri  
variolas tractandi ratio. 173.*

## LIV.

*Brevissime quædam de insitione, & in-  
oculatione variolarum. 175. 176.*

---

---

## CAPITE V.

## LV.

**D**ocetur, quomodo diversis symptomati-  
bus, que variolas antecedere, con-  
comitari, aut subsequi solent mederi, debea-  
mus. 177.

## LVI.

*Statuitur quid agendum sit, si adsint  
convulsiones, aut nimia diarrhoea aut aliqua  
urgens haemorrhagia. 186. 7. 8.*

## LVII.

*Demonstratur in p̄brenesi nimius, &  
communis paregoricorum, anodynorumque*

*Tom. II.*

B

usus

*usus esse noxius ; quibus præferuntur lenia  
per epi crasim evacuantia antiphlogistica.* 192.

## LVIII.

*Quid in secundaria variolarum febre agen-  
dum sit.* 195. LIX

*Quid sit micturitio in variolis , quid  
denotet & quomodo tractari debeat.* 197. 8.

## LX.

*Urinæ in variolis suppressio , effectus ,  
& cura.* 199. LXI.

*Si pustulæ variolarum depresso , flac-  
cidæ ; & si interstitia variolarum minus  
rubeant , tumeantque minus , quid agendum.*  
202. 4. LXII.

*Quomodo leniatur , mitigeturque vario-  
larum ardor , dolor , & tensio.* 207.

## LXIII.

*Qua ratione deglutitioni difficile obviam  
eundum sit.* 209.

## LXIV.

*Quid de salivatione in variolis sentien-  
dum ; quomodo hæc custodienda , aut defi-  
ciens promovenda ?* 213. 214.

## LXV.

LXV.

Quomodo oculi a malig nitate materiæ variolosæ custodiendi; affecti vero, quomodo curandi? 224. Si aures, si faciei forma & nitor offendantur, quomodo illis prospiciendum? 232.

LXVI.

Si post variolas ulcera maligna exedentia, si furunculi vires exhaustientes diu & pertinaciter affligant, tunc præter remedia diluentia, & lenientia, cortex peruvianus, & mercurius specifica a celeberrimis practicis deprædicantur. 241.

LVII.

Exponuntur plures alii affectus qui variolis supervenire solent.

LVIII.

Tandem capite VI. & ultimo afferuntur quædam singulares de variolis observationes, casusque selectiores, adjunctis ad eosdem annotationibus; quibus illa, quæ de variolis superius exposita sunt, magis dilucidantur, & confirmantur.



TRRCTATUS II.  
DE  
V A R I O L I S

---

C A P U T I.

*De quibusdam ad variolas spe-  
cialibus.*

 apulæ , quæ quasi vari faciem reliquamque cutem , defœ-  
dant variolæ vocantur. Un-  
de fit , ut Indi variolas sub  
forma excelsæ mulieris effingant , turpi  
macie torridæ , furiæ instar bicipitis ,  
&

& quatuor brachiis præditæ, cuius simulacrum efformant, cui vota ineptissima, ut grassantibus variolis, ab hac turpitudine liberentur, facere solent.

## I.

In prima statim variolarum contemplatione se offert communis, & fere omnium, qui de his tractarunt, error; quo alias celebres in arte medica viri, variolas, & morbillos promiscue, & quasi una fidelia dilucidare, iisdemque eandem tum ætiologiam, quin imo, & curam, adscribere solent, cum tamen, uti jam superius de contagio probatum est, duo hi affectus specie inter se differant, & diversissimis symptomatibus ægros affligant. Experientia enim est cui libet obvia, ordinaria naturæ lege a variolis variolas, & a morbillis morbillos, non autem a variolis morbillos, aut a morbillis variolas propagari.

B 3

II.



## II.

Hoc confirmat artificialis propagatio, quæ per infisionem seu inoculationem variolarum institui solet. Quin imo annis 1757. & 1758. Celeberrimus D. Doctor Home eadem hac arte morbillos felicissimo eventu in Anglia propagavit; neque unquam observatum est ab inoculatis variolis morbillos aut a morbillis variolas exortas fuisse.

## III.

Sicut igitur plantarum semina a. b. c. eorumque ex illis ortas plantas specie differre dicimus, quia ordinaria naturæ lege a semine a. plantam a. & a semine b. plantam b. produci, & propagari videamus; ita pariter ex eodem fundamento semina variolarum, & morbillorum specie inter se differre asserere debebimus; secus enim omnia semina plantarum una cum suis plantis ejusdem speciei contra omnium opinionem dicenda erunt.

## IV.

## IV.

Quare judico, variolas seorsim, & separatim a morbillis tractandas & definiendas esse, pace omnium aliter sentientium. Antequam autem ad differentias, descriptionem, & æthiologiam variolarum accedamus, dilucidanda, & enodanda venit celebris alias inter medicos quæstio: num videlicet variolæ semper, & omni ævo genus humanum afflixerint? aut quo tempore, saltem in Europa vigerere ceperint? Alii vero hanc quæstionem proponunt: An variolæ veteribus notæ fuerint, nec ne?

## V.

Fateor, quamvis hæc quæstio exigi, aut nullius, sive in re medica, sive in republica videatur esse commodi, acerrime tamen celebres inter medicos ad hæc usque tempora decertatum suisse. Ego ne crambem toties jam coctam recoquere videar, in his diu non mora-

bor, sed Benevolum Lectorem ad lectionem eorum autorum, qui data opera, perquam erudite de hac quæstione tractarunt, remittam. Inter multos alias præeminet elegantissimus Tractatus: *De variolarum novitate*, celeberrimi, & eruditissimi viri D. de Werlhoff contra doctissimum pariter virum Gothofredum Hannium; qui veterum monumenta summo labore conquisivit, & collegit; unde variolas a veteribus delineatas, & descriptas esse probat; alter vero pro sua, quæ in omnibus est ipsi communis modestia, & eruditione, ostendit variolas esse morbum novum, & veteribus ignotum. Hic invenies B. L. in utramque partem, quam profundissime & eruditissime decertatum esse, ut vix aliquid superesse rear, quod superaddi possit.

## VI.

Interim, ut quam brevissime fieri possit hac de quæstione me expediam;

ju-

judico, cuilibet jam constare, quod juxta data principia de contagio, hæc quæstio facile a nobis solvi, & determinari possit. Nam supposui, quod sicut semina omnium vegetabilium, ita etiam semina verminosa omnium morborum contagiosorum in principio creationis jam producta fuerint, adeoque in rerum natura nulla alia de novo producantur, sed tantum evolvantur, & ultiro propagentur.

## VII.

Unde ex his principiis sequentia deducimus.

Primo; quod semina variolarum semper & omni tempore in rerum natura extiterint.

Secundo; quod semina valde diu inertia latere possint; quin imo

Tertio, a summo Creatore ipsis seminibus inditas esse certas pro eorum evolutione leges, ut aliqua citius, alia tardius evolvantur.

Omnia hæc allata fundantur in observationibus, de quibus vix aliquod dubium moveri posset, nam experientia constat, semina luis venereæ, podagræ, aliorumque hæreditariorum morborum in seris primo nepotibus sobolescere, item periti agricolæ norunt, eadem semina & eidem solo sæpius commissa in sui multiplicatione, & fructificatione tandem valde deficere, sive hoc fiat, quod per repetitas evolutiones tandem exhaustiantur; sive, quod eidem terræ ita asuefcant, ut non amplius afficiantur; ut hoc videmus in nostris corporibus; quamvis enim cum aëre esculentis, & potulentis quotidie vix non infinita muscarum, aliorumque infectorum ovula deglutiamus, tamen illis ita assuescimus, ut non afficiamur.

## VIII.

Quapropter ex jam allatis rationibus fit, ut lepra, elephantiasis, mentagra  
alii-

aliique, qui quondam communissimi, & dirissimi erant morbi, nunc ferme deficiant; ast fieri potest, ut tardius eorum semina præstabilitam adipiscantur maturitatem, sicque frequentiore evolutione, ac majore sævitie se manifestent.

Sed hoc ipsum nunc videmus in lue venerea; notum est quanta sævitie, quanta strage in sui initio se manifestarit, nam quam citissime omnia pervadebat, & corrumpebat membra, nunc vero genitalium sede contenta per gonorrhœam, saepe absque omni remedio feliciter suum absolvit decursum. Sed de his plura legi possunt in tractatu de contagio.

### IX.

Unde ex his inferre possumus, quod tempore Hippocrat. ante & post illum non tantum semina variolarum jam extiterint, sed quod etiam variolæ genus humanum affixerint, verum non tam frequentes, uti hoc tempore.

Qua-

Quare mirum non est, si in veterum monumentis inveniantur quædam variolarum vestigia, quæ modernis respondent variolis. Præterea contingere potuit, ut tempore Hippocratis, Celsi, & Galeni; item in illis provinciis, quas ipsi inhabitabant, aut forte universim, nec in Asia, nec in Europa, tunc variolæ grassatæ fuerint, quæ tamen in Africa, America, aliisque tunc incognitis insulis, eandem, quam nunc apud nos stragem agerent. Sic Ioann. Helwig narrat, quod ante Batavorum in insulas orientales, & occidentales adventum variolæ, & morbilli incogniti ibidem fuerint; qui tamen ibi nunc tam frequentes, & tam maligni existunt.

## X.

Ast primam accuratam & adæquatam variolarum descriptionem seculo duodecimo Medicis Arabibus debemus; quos nos uti & alios recentiores sequemur.

An-

Antequam vero variolarum definitionem seu descriptionem adducamus, præmit tendæ erunt variolarum differentiæ, & divisiones; ex quibus dein earum natura facilius exponi poterit.

---

## C A P U T II.

---

*De divisione, differentiis, & descriptione variolarum.*

### XI.

**A**d variolarum diagnosim, prognosticim, & curam multum interest scire earum differentias, & divisiones, quare variolæ primo dividuntur in veras, seu legitimas, & nothas, seu spurias; istæ sunt vesiculæ plus minus latæ, humorem ferosum, aut aqueum majore aut minore quantitate continentes, derepente plerumque invadentes, & erumpentes; bidui aut

aut tridui collabescentes, & flaccescentes, & sine periculo affligentes.

## XII.

Variolæ autem veræ, de quibus hic potissimum agemus, in suppurationem tendunt, & plus temporis donec acmin attingant, requirunt, nam rarissime primo, quandoque secundo, plerumque tamen tertio aut quarto die erumpere solent, septimo, octavo, aut nono die, aliquando tardius, ut in malignis, & confluentibus, suppurantur.

## XIII.

Variolæ veræ dividuntur ultro in discretas seu distinctas, & confluentes; item intermedias, quæ cohærentes audiunt.

Distinctæ dicuntur, quæ papulas ab invicem sejunctas habent; quando vero plures papulæ quasi in unam conveniunt, tunc confluentes vocantur. Istæ solent erysipelatis, aut morbillorum ri-

tu

tu erumpere, & colore rubro adinstar scarlatinæ faciem notare. Cohærentes sunt mediæ inter discretas, & confluentes, quando nimirum se quoad aliqua tantum suæ molis puncta tangunt.

#### XIV.

Item dividuntur in regulares & irregulares, seu anomalas, illæ sunt, quæ eadem vix non semper exhibent phænomena, & pari symptomatum agmine, atque potissimum tempore verno ægros adoriri consueverunt; quare distinctæ quarta ab invasione die erumpere incipiunt, & ulteriorem morbi decursum mitiorum symptomatum agmine absolvunt, qua ex ratione benignæ audiunt.

#### XV.

Si vero prædictas notas non præseferunt variolæ irregulares, & anomalæ vocantur, quæ, si discretæ sunt, tertia die jam erumpere incipiunt, plerumque valde parvas, pustulas, fuscas, aut ni-

gras

gras referunt, quin imo saepe ptyalismus, qui confluentibus quasi proprius est, illas concomitari solet, adeoque majore cum periculo sua stadia decurrunt, unde etiam malignæ dici possunt.

## XVI.

Variolæ confluentes irregulares distinguuntur a confluentibus regularibus in eo, quod tempus eruptionis magis antevertant, adeoque jam secunda die erumpere soleant. Hæc eruptio fit specie tumoris plus minus rubri vultum omnem contegentis absque notabili papularum discriminè; adest præterea statim sub initium morbi major virium exsolutione, & variolarum major in gangrænam propensio.

## XVII.

Dantur etiam aliæ variolarum, sed minoris momenti differentiæ, sic Clarissimus Diemerbrœck, alias dicit esse rubicundas, alias lividas, violaceas;

item

item alias molles, alias duras; depref-  
fas, elevatas, albicantes, splendentes,  
alias latas, & alias contractas.

## XVIII.

Quin imo ipsæ variolæ nothæ seu  
spuriæ videntur notabilem differentiam  
præseferre; nam aliæ sunt christallinæ,  
& lymphaticæ, plus humoris ferosi &  
lymphatici continentæ, unde etiam  
vulgo die **Wasserblättern** audiunt;  
aliæ vero sunt duriores, nodosæ, veru-  
cosæ, tuberculosæ, & vix aliquid humo-  
ris continentæ & ideo etiam die **Stein=**  
**blättern** vocari solent. Quamvis Clar-  
rissimus Mead, & Freind variolas ve-  
rucoſas & Chryſtallinas ad malignas po-  
tius reducant; ego tales ſæpe vidi; ſed  
ſemper fine febre & periculo; adeoque  
inter spurias potius reputandas cenſeo.

## XIX.

Præsuppositis divisionibus & differen-  
tiis variolarum facilius poterit concipi il-

larum descriptio, quæ alias definitio vocatur.

Antequam variolarum descriptionem proferamus, insinuandum est, raro eas exacte, & adæquate definiri, quia sub tali descriptione non comprehenduntur variolæ tam veræ, quam nothæ; item quia sæpe talia symptomata pro essentia variolarum adduci solent, quæ in variolis adesse, aut abesse possunt, ut dein patebit.

## XX.

Variolæ igitur describi possunt, quod sint morbus exantematicus contagiosus, ( I. ) plerumque epidemicus ( II. ) & passim cum febre conjunctus ( III. ) omnem ætatem, sed præcipue infantes invadere solitus. Si veræ sunt variolæ in suppurationem, secus, si nothæ sunt, tendens ( IV. ) diversisque aliis, pro diversitate status morbi stipatus symptomatibus. ( V. )

## XXI.

## XXI.

Ratio vero dictorum, uti & ulterior eorum expositio sequens esse poterit: dixi enim ( I. ) variolas esse morbum exantematicum, & contagiosum, & ( II. ) plerumque epidemicum. Variolas esse contagiosas omnes norunt, sed illas non esse semper epidemicas pariter admittent, si perpenderint eas facile persomitem ab uno loco ad aliam regionem, ubi epidemice non grassantur, ibique saltem per infestionem, aut inoculationem communicari, & propagari posse; sic Eruditissimus Willis multos adducit casus de variolis sine epidemia afflignantibus.

## XXII.

( III. ) Variolas esse febrem exanthematicam, adeoque febrem esse de essentia variolarum, plerique autumant. Verum rationes, quibus moveor, febrem non esse de essentia variolarum sunt sequentes:

C

Pri-

Primo in variolis spuriis s<sup>e</sup>pe nec febris, nec ullum aliud symptoma quod incommodo esse possit, observatur.

Secundo in variolis, & præcipue benignis, s<sup>e</sup>pe nulla observatur febris; quia tales infantes ab initio usque ad finem morbi omnes functiones, ut alias sani peragunt; sunt enim hilares, circum ambulantes, ludentes, bene appetentes placide dormientes, verbo: nulla alicujus incommodi signa præferre videntur, qui talia non credit, ruri præcipue talia observare poterit.

### XXIII.

Sed quamvis admirerem tempore eruptionis & suppurationis adefesse febrem; interim omnes practici norunt, quod in variolis discretis & benignis, facta plenaria eruptione, febris plerumque per unam, alteramve diem fileat, donec febris suppuratoria accedit; quod patet ex eo, quia infantes vix exacta eru-

ptio-

ptione hilares, esfuentes & bene dormientes evadunt, quod fieri non posset, si febris adesset. Sicut igitur calor de essentia febris dici non potest, quia aliquando abesse potest, ex eadem etiam ratione febris de essentia variolarum non erit, cum pariter a variolis separari possit.

#### XXIV.

Verum doleo, quod tantum de febre disputare debeamus, cum necdum evidenter constet, quid, & in quo proprie calor, & febris consistat. Quamvis enim hoc tempore fere omnes, aucto attritu, & exinde orto pulsu frequiore, & celeriore naturam, & essentiam, febris & caloris derivent, supersunt tamen quam plurimæ difficultates, quæ hanc communem opinionem labefactant, tales difficultates nuper nobis publici juris fecit Eruditissimus & Magnificentissimus Dominus de Haen: in

parte altera rationis medendi pag. CLX-  
IV. v. VI. & alibi. Verum ne hæc,  
quamvis laude & veneratione digna, no-  
vissima esse videantur, talia legi pos-  
sunt in operibus jam 1748. a Medico  
Vindobonensi typis datis cap. V. de ve-  
næ sectione pag. CXXVII. quibus titu-  
lus est : *Animalversiones in libellum cui*  
*titulus : Andropitus Asclapiadeus &c.* ve-  
rum manum de tabula, hæc hujus lo-  
ci & nostri scopi non sunt, quare ad  
( IV )

Properamus ; per hoc enim, quod  
variolæ verae suppurentur, distinguuntur  
a spuriis, quæ sæpe inopinato erum-  
punt, & bidui aut tridui flaccescentes  
exsiccantur, uti in differentiis variolarum,  
ab aliis efflorescentiis clarus patet.

## XXV.

Tandem ( V. ) diximus variolas  
pro diversitate status. & stadii earum di-  
versis stipatas esse symptomatis.

Cla-

Clariss. Sydenham assignat duo tantum variolarum tempora, nimirum unum separationis, & alterum expulsions; ast judico commodius quatuor in variolis terminos seu epochas constitutas esse; primus terminus est præparationis, seu separationis, secundus expulsionis, tertius suppurationis, & ultimus exsiccationis. Primus seu præparationis terminus in variolis discretis, & benignis intra triduum aut quatriduum absolvitur; in malignis vero, aut confluentibus citius; secundus intra triduum circiter; tertius diversa habet tempora; nam in discretis & benignis, citius, in malignis autem & confluentibus tardius & lentius absolvitur suppuratione, & ad decimam septimam quin imo etiam ad vigesimam primam diem protrahitur. Idem dicendum est de earundem exsiccatione. Ut vero tota historia, & progressus variolarum eo facilius intelligatur,

initium ducam a discretis, & regularibus, sicque ab his fiet transitus ad confluentes & anomalas.

### XXVI.

Diversa sunt symptomata pro diversitate genii variolarum, quæ earum eruptionem præcedere solent; specialiter vero affligit capitis, lumborum, & spinæ dorsi dolor; lassitudo, viriumque languor, præcordiorum anxietates, inquietudines, respiratio laboriosa & suspiriosa; sopor, somnus tamen inquietus, interruptus; quibus præcipue autem juvenibus jungitur delirium; item adeat ciborum fastidium, nausea, quandoque etiam vomitus maximam partem biliosus; in infantibus autem plerumque diarrhæa, pavores in somno, & subfultus tendinum; in adultis vero adeat incoercibilis in sudores propensio. Præterea horripillationes intercurrere confuerunt, calor corporis aliquando major,

ali-

aliquando minor; idem dicendum est de siti; pulsus est plerumque solito celerior; infantes saepe inopinatae convelluntur, quibus paulo post variolarum eruptio succedit.

### XXVII.

Hic tacitus praeterire non possum quædam anomala, & minus vulgaria symptomata, quæ variolas quandoque diu præcedere solent. Ego aliquando observavi, quod octo, & pluribus diebus certi dolores rheumatici aliquando unam, aliquando alteram partem corporis occupare, quandoque cum, quandoque sine febre affligere soleant; sicutque aliquando colicam, quandoque pleuritidem, aut rheumaticum artuum dolorem æmuluntur; quales casus hac de re a me observati dein specifice adducentur.

### XXVIII.

Dixi, quod pro diverso variolarum genio, prout nimirum discretæ, aut con-

fluentes; benignæ aut malignæ fuerint, & jam diverso efflorescant tempore; malignæ enim & confluentes longe citius; discretæ vero & benignæ plerumque quarta die erumpere solent; & quidem primo in facie & collo papulæ quædam rubræ se manifestant, quæ pededentim numero plures efflorescunt; dein pectus, brachia, abdomen, dorsum cum femoribus, pedibusque occupant; quo tempore fiunt frequentes sternutationes, difficultasque nunc major, nunc minor in deglutitione persentitur; quia variolæ tam nares, quam fauces occupant; quin imo sæpe fit, ut totus tractus arteriæ asperæ, esophagi, quin imo pulmones, ventriculus, intestina, aliaque viscera iisdem obsideantur.

Protrahitur variolarum eruptio ad duos tresve dies, quo tempore omnia superius recensita symptomata aut remittunt, aut plane evanescunt.

## XXIX.

Tandem circa diem sextum eodem tenore & ordine ut eruperant variolæ, incipiunt suppurari; adeoque pustulæ, quæ in sui exordio rubebant successive albescere incipiunt, magis latæ, & acuminatæ fiunt cum circulo rubente, item variolarum interstitia rubent, tument, tenduntur; & dolent; iste tumor præ-primis faciem occupat, sic palpebræ sa-pe ita turgent, & connivent, ut vesicam aqua plenam repræsentent, & ægrum uno alterove die luce privent.

Interea dum ista fiunt febris, sitis, inquietudines, deglutitio difficilis, vox rauca, & reliqua intenduntur nunc magis nunc minus pro diversa ratione variolarum.

## XXX.

Die circiter ab invasione nono pu-stulæ, quæ albæ & leves erant ad ta-ctum, fiunt asperæ, fuscæ, & flavæ, sic-

sicque mox dein & ferme eodem ordine, ut eruperant, & suppurabantur, rumpuntur, & exficcantur, & usque ad 14. circiter diem, illæ, quæ faciem, collum occupabunt, abscedere, & decidere solent; relictis squamulis furfuraceis successive pariter decidentibus.

## XXXI.

Interim, dum hæc die octavo, & nono, & sequentibus in facie fiunt, & ad declinationem morbi vergunt, manus vero & pedes summum tumoris gradum assequuntur, rubent, tenduntur, & dolent bidui aut tridui longius, quam facies; variolæ pariter diutius albæ, plenæ, & tensæ perseverant; quæ dein decima tertia aut decima quarta die flacescunt, & humorem sed non ita spissum, ut illæ, quæ faciem occupant, verum liquidiorem fundunt; sicque exficcantur & decidunt, ut superius dictum est.

## XXXII.

## XXXII.

Dum tumor faciei, reliquarumque partium augmentum capit, urina pauca & saturata redditur; dum vero tumor decrescit, succedunt urinæ crudæ, aqueæ, valde copiosæ; quibus diversa filamenta, & quasi squamularum ramenta innatate videntur; quin imo præsertim ultimis resipiscentiæ diebus, sedimentum album nunc majore nunc minore quantitate in urinis observatur.

## XXXIII.

Ex data descriptione variolarum, quæ maximam partem discretas, & regulares attingit, variolæ confluentes, & anomalæ faciliter concipi poterunt; etenim symptomata, quæ expulsionem variolarum confluentium præcedere solent, sunt ferme discretis communia, sed longe atrociora & ferociora; nam hic adeo major virium prostratio, major anxietas, materiæ biliosæ vomitus, major sopro-

porositas & major febris ; ex quibus variolas , aut confluxuras , aut anomalas , & mali moris futuras expertus medicus prædicere poterit.

### XXXIV.

Diximus in discretis benignis facta eruptione febrem mitigari , aut plane sopiri ; in confluentibus vero peracta eruptione febris adhuc supereft , item salivatio adultos , diarrhæa vero infantes affligere solent ; nam salivatio aliquando una cum variolarum eruptione aliquando postridie supervenit ; a principio materia sat tenuis procedit , quæ vero circa undecimum morbi diem tam tenax & spissa fit , ut nisi manus & pedes tunc debito modo tumeant , æger in summo vitæ periculo verisetur.

### XXXV.

Variolæ confluentes , quæ faciem occupant , sunt multo minoris voluminis , quam in discreto genere esse soleant ; illæ

ve-

vero quæ manus & pedes obsident, habent mollem majorem illis, quæ in facie sunt. Hoc præterea observamus, quod statim sub eruptionis initium facies ex confluentibus tumida evadat, qualis etiam diutius quam in discretis permanet.

### XXXVI.

Variolæ autem anomalæ hoc habent primo singulare; quod quamvis fuerint discretæ diem quartum, alias discretis regularibus pro expulsione communem, antevertant; adeoque prout plus, aut minus malignæ sunt indolis, secundo, aut tertio die erumpant.

Secundo, omnia symptomata ferme ut in confluentibus dictum est, sunt graviora. Tertio pustulæ sunt minoris voluminis, non ita elevatæ, sed magis depresso, quam illæ, quæ in regularibus & discretis esse solent.

Quarto, quamvis variolæ discretæ videantur, si tamen malignæ sunt, jun-  
gi-

gitur his in adultis ptyalismus, ac si confluentes essent.

Tandem variolæ anomalæ solent multis pustulis nigris ad corruptionem & gangrænam magis dispositis, interspersæ esse; unde magnam malignitatem illis inesse judicare possumus, propter quam etiam fit ut talibus variolis anomalis facile alia exanthemata ut milliaria jungantur.

### XXXVII.

Solertissimus Sydenhamius judicat variolas tempore verno grassantes esse discretas, & benignas; illas vero, quæ hibernum tempus obtinent, esse ut plurimum malignas. Verum multæ observationes a me hic Viennæ captæ alter nos docent, nam recentissima epidemia, qua Vindobonæ variolæ grassabantur, nobis ostendit tempore hiemali variolas discretas, & benignas sæpe grassari.

### XXXVIII.

## XXXVIII.

Hæc epidemia statim post solstitium æstivum initium sumpfit, & hinc inde se manifestavit; ait mensibus Novembri, & Decembri 1759. item 1760. Januario, & Februario quam plurimos & infantes, & adultos agrediebantur variolæ, circa æquinoctium vernum jam defervescere videbantur, ita ut sequentibus mensibus vix earum vestigia superessent.

Eodem tempore nunciabatur variolæ graffatae fuisse in multis aliis regionibus, sed potissimum in Dania; erant autem ibidem ita malignæ, ut quam plurimi exinde denati essent. Apud nos autem contrarium evenit; etenim erant tam benignæ, ut si debita methodo tractatæ fuissent, vix aliquis ægrotorum exinde desideratus fuisset; quod confirmatum legi potest in elegantissimo tractatu de miliaribus & petechiis Magnifi-

centissimi , & Eruditissimi Domini Ant.  
de Haen Vindobonæ editi 1760. Ego  
ipse , ut absque jaſtantia efferam , ha-  
bui quamplurimos , tam intra , quam ex-  
tra urbem in celeberrima Academia Sa-  
baudica tractandos ſimiles ægros , &  
quamvis multi eorum viginti & ultra  
annos natū fuiffent , tamen favente Nu-  
mine omnes integræ & perfectæ sanitati  
reſtituti fuere.

## XXXIX.

Similes benignarum variolarum epi-  
demiæ , quæ tempore hiemali hic loci  
observabantur , erant plures , ut annis  
1749. & 1750. 1757. & 1758. &  
recenter 1759. & 1760. Cum huja-  
tes benignarum variolarum epidemias re-  
tulerim , necesse eſt , ut etiam illarum ,  
quæ malignæ & anomalæ erant indolis ,  
quam breuiffime meminerim.

## XL.

## XL.

A triginta fere annis quibus praxi medicæ addictus sum, duas, ut alias præteream, malignas & memorabiles observavi variolarum epidemias. Prima fuit anno 1742. in hac erat statim ab initio morbi summa virium prostratio, ingens febris, summa anxietas, & soporofitas. variolæ erumpere solebant ad finem diei secundæ, aut a principio diei tertiae, erant fere apud omnes discretæ, sed parvæ, non elevatæ, sed depresso; aliquæ earum erant lividæ aut nigræ. Verum hoc præ omnibus aliis notandum est, quod die nona, aut undecima, aliquando tardius, ubi omnia jam ad vota Medici, & ægri procedere videbantur, mox æger fieret inquietus, anxious, fiticulosus, febris augeretur, micturitio affligeret; urinæ enim læpe, copiosæ, & limpidissimæ excrenebantur; dum hæc aderant symptomata expertus medicus

potuit pro certo prædicere miliaria alba  
paulo post, aut postridie in conspe-  
ctum ventura; qualis eventus dein me-  
dici prognostico magnam fidem concilia-  
vit.

### XLI.

Dum prædicta miliaria ex centro ad  
peripheriam corporis propulsa fuissent,  
præsertim si sat copiosa ista esset eru-  
ptio, ut plurimum æger melius habebat,  
& omnia prædicta symptomata remitte-  
bant, sicque si nulla alia exacerbatio huic  
similis succederet, æger brevi perfectæ,  
& integræ restituebatur sanitati.

### XLII.

Verum tamen sæpe evenit, ut post  
unam, alteramve a prima exacerbatio-  
ne diem, ubi æger respicere videbatur,  
iterato inquietus anxious, magis febrici-  
tans fieret, ut superius diximus; cui  
exacerbationi diversi recentium miliari-  
um, aut albarum, aut rubrarum, aut  
utrius-

utriusque simul hinc inde in corpore apparebant manipuli. Ista alternatio, & exacerbatio solebat saepius repetere; & ægrum magis semper & magis viribus exhaudire; sicque nisi oportunis remediis obviam itum fuisset, e medio tollere.

## XLIII.

Ejusdem plane indolis observationem hic tacitus præterire non possum, quin meminerim, idem saepe contingere in omnibus morbis acutis, ut febribus continuis, ardentibus, malignis inflammatoriis, ut potissimum in pleurite & peripneumonia. Si enim materia phlogistica in pleura & pulmonibus restagnans; nec discutiatur, nec per copiosum sputum evacuetur, tunc semper magis & magis corruptitur, & ad Massam sanguineam resorbetur; ibidem majorem febrem, majorem in ægro inquietudinem, majoremque anxietatem excitat; ad pe-

riphera in corporis propellitur, sive exanthemata miliaria propululant.

## XLIV.

Si ista materia corrupta magna sui parte pulmones ab onere liberet, & ad sanguinem resorbeatur, sive ad peripheriam pellatur; si hoc fiat die critico; tunc contingit magno cum levamine; quales casus aliquot ipsemet vidi, & quamvis sint rari, tamen omnes practici similes norunt; talis enim motus naturae criticus dici debet; quia fit materiae peccantis coetate a partibus nobiliorebus ad minus nobiles depositio.

## XLV.

Sæpius autem evenire solet, ut materia peccante existente adhuc cruda, vel dum materia phlogistica in abscessum degenerat, exanthemata miliaria supervenire soleant; quia materia corrupta purulenta massæ fanguineæ mixta ad circumferentiam corporis propellitur: ve-

rum

rum hoc non fit cum euphoria, & levamine ; quia cum fomes materiæ purulentæ generandæ in corpore lateat, non potest fieri aliqua critica evacuatio donec iste fomes expurgetur , abstergatur , & consolidetur.

## XLVI.

Sic in variolis saepe vix non idem contingere observamus ; nimirum die nona , aut undecima materia variolosa purulenta ad sanguinem resorbetur ; ibidem excitat majorem febrem , inquietudinem , anxietatem , ex quo fit , ut dein hæc ipsa materia purulenta sub specie exanthematum miliarium ad peripheriam deponatur ; quod si plenarie & secundum potiorem ejus partem contingat , fit critice , & cum levamine ; si vero hujus materiæ purulentæ minor aliqua portio ad circumferentiam corporis propellatur , manente majore ejus portione mixta cum sanguine , aut si in aliqua interna

corporis parte ex variolis fiat abscessus, quod s<sup>e</sup>pe contingere dein dicemus; tunc materia purulenta exinde separata, cum sanguine mixta, & ad peripheriam protrusa non alleviat morbum, nec ægrum, non succedit critice, sed symptomatice; quia princeps horum exanthematum formes adhuc in corpore supereft, eandem materiam peccantem ad excitandos ulteriores motus febriles in posterum exhibitus.

Tales motus symptomaticos s<sup>e</sup>pe observavimus in variolarum epidemia, quæ anno 1742. grassabatur.

### XLVII.

Verum atrocioris, & funestioris variolarum epidemiæ vix memini, quam fuerit illa, quæ annis 1745. & 1746. hic Vindobonæ grassabatur; & hæc est ratio, quæ me movet, ut paululum distinctius illam exponam, & declarem.

Ad finem Augusti, & initium Septembris 1745. variolæ hinc inde in hac  
me-

metropoli se manifestabant, ut plurimum discretæ, & utcunque benignæ; verum mox larvam deponebant, mensibus præcipue Novemb. Decembris 1745, & Januar. Februar. 1746. perquam malignæ factæ quam plurimos tam infantes, quam etiam ætate proiectiores, præser-tim ex hujatibus perquam illustribus familiis vita privabant, sed Martio & Aprili mitiores, & rariores factæ tandem evanuerant.

### XLVIII.

Harum variolarum insultus & progressus sequens erat: ægri per intervalla horrebant, biliosa vomebant, comatosi jacebant; summa anxietas, & virium prostratio illos occupabat. Aliquando secunda, aliquando tertia ab insultu die variolæ in conspectum veniebant, erant ut plurimum discretæ. Sed peracta expulsione prædicta symptomata non mitigabantur, ut alias fieri solet; quin imo sæ-

pe augebantur; nam & inquietudines, insomnia, deliria, item s<sup>e</sup>pe convulsiones, quamvis prius non adfuissent, præterea micturitio, diarrhæa in infantibus; ptyalismus vero in adultis die quinta aut sexta prioribus jungebantur; quibus die sequente miliaria ferme semper alba, tam certo supervenere, ut ex præsentia dictorum symptomatum miliarium prognosim ferme infallibilem medicus expertus instituere potuerit.

## XLIX.

Diarrhæa, quæ hic aderat, non solebat tantum negotii, & discriminis facessere quantum ipsa micturitio, quæ ferre diabetica dici poterat; nam nicthermeri spatio ad libras XII. aut XVI. aliquando etiam ultra, urinæ limpidissimæ secesserant. Istud urinæ profluvium in aliquibus ægris totum morbi decursum concomitabatur; quapropter necessario quidam anomali effectus exinde resultabant,

bant, nimirum variolæ non erant elevatæ & turgidæ, sed depressæ, flaccidæ, multæ lividæ, aut nigræ tempore suppurationis manebant; item nec facies, nec variolarum interstitia solitum adipiscabantur tumorem & ruborem.

### L.

Hoc præterea singulare in hac epidemia fuit, quod diarrhæa non tantum infantes, sed multos alios triginta & plures annos natos, affligeret; quæ si aderat, ptyalisni vix aliqua aderant vestigia.

### LI.

Dum prædicta miliaria sexto, aut septimo, ut dixi, die expulsa fuissent, videbatur æger melius se habere, nam prædicta symptomata, nimirum anxietates, deliria aut convulsiones remittebant, quæ non mitescabant, dum variolarum eruptio facta fuisset.

### LII.

## LII.

Si æger in hoc resipiscentiæ statu absque nova exacerbatione permanebat, tunc plerumque decima quarta morbi die, aliquando vero primo decima septima judicabatur; sed similes casus oppido rari erant. Verum frequentius eveniebat; ut octava aut nona morbi die prædicta micturitio, febris, anxietates, inquietudines, aliquando deliria repetarent, & reviviscerent; quæ mox nova, sive alborum, sive rubrorum miliarium eruptio sequebatur; sicque ista exacerbatio, & alternatio aliquoties repetere solebat; æger interim exinde magis semper & magis fatiscebat; & nisi opportunis, & appropriatis remediis temporius occurreretur, ad plures migrabat; quod vigesima prima morbi, aliquando tardius, contingebat, quin imo habui duos tresve casus ægrotorum; in quibus non tantum prædicta symptomata, sed

præ-

præterea diversarum corporis partium serpentia, & gangrænosa ulcera aderant, quæ exhausto, & exeso fere toto corpore quadragesimo circiter primo die finem vitæ imponebant.

## LIII.

Verum dicet aliquis, istam variolarum malignitatem regimini calido, quo variolæ tractari solent, potius adscribendam esse, quam alicui malignæ epidemiæ. Ast quamvis inficias ire non valeam in uno, alterove subiecto aliquando variolas indole sua benignas per perversam methodum malignas reddi posse, quales casus sæpe vidi; tamen universaliter hoc dici non potest; quia alias ratio reddi non posset, quare uno anno benignæ, alio vero maximam partem malignæ graf-sentur; cum universalis eas tractandi methodus, regimenque fere semper idem sit. Accedit, quod methodus regimine calido variolantes tractandi apud nostrates

tes medicos jam dudum exoleverit, quod  
jam suo tempore agnovit, & improbavit  
celeberrimus quondam hic Vindobonæ  
practicus Sorbait in suo tractatu de va-  
riolis Cap. XVII. Tractatu III. item  
Cap. XIII. Tractatu VII.

Ex his, quæ superius dicta sunt de  
differentiis, & descriptione variolarum,  
eruitur facile earum diagnosis, & diffe-  
rentiæ ab omnibus aliis exanthematibus;  
nam per hoc, quod variolæ sint papulæ  
elevatæ, & prominenres, & quod in  
suppurationem transeant, distinguuntur a  
morbillis, petechiis, scarlatina, purpu-  
ra aliisque exanthematibus.



## CAPUT III.

*Dc Variolarum Aethiologia.*

## LIV.

**P**lures & diversas habemus de origine, natura, & causis variolarum opiniones; inter quas princeps & prima fuit Arabum Medicorum.


Quemadmodum enim illi primi fuerent, quia accuratam variolarum descriptionem nobis exhibuerunt; ita fere unanimiter variolas a sanguine materno derivabant, & deducebant.

## LV.

Assertum hoc sequentibus firmabant rationibus: credebant enim; primo, quod sanguis menstruus fit humor corruptus, & quasi venenosus.

Secundo observabant, uti etiam nunc videre est, quod uterum gerentes plerumque menstruo illo fluxu priventur; adeoque exinde inferebant, quod cum

fœ-



fœtus in utero matris nutriatur, prædicto sanguine menstruo, eidem necessario inferatur talis labes, ejusque humores ita conspurcari debeant, ut non nisi per supervenientes variolas depurari & defecari possint.

Quamvis vero aliqui, ut Avenzoar dicant, fœtum in utero matris sanguine puro nutrir, admittunt tamen variolas ab utero matris derivandas esse. Sic Clariss. Willis ipse hoc fermentum variolosum ab utero deducit, & in medulla spinali tamdiu iners hospitari ait, donec in actum ducatur.

## LVI.

Verum hoc tempore per demonstrationes constat, sanguinem menstruum esse ejusdem indolis cum alio, qui in va-  
fis circulat, adeoque non esse corruptum,  
aut venenosum.

Secundo certum est, multa alia ani-  
malia bruta habere sua menstrua absque  
eo, quod corripiantur variolis. Ter-

Tertio, multi senescunt, quin laborant variolis.

Quarto, neque concipi aut demonstrari potest, quare hæc materia variolosa non statim in actum deducatur, cum minima ejus portio sive per contagium, sive per infestationem corpori communiceatur, statim variolas excitet.

Tandem cum status conceptionis, nutritionis & partus a principio mundi semper fuerit idem, ratio dari non potest, quare superioribus seculis tam rarae fuerint variolæ, ut in antiquorum monumentis vix earum vestigia inveniantur. Negligentissimi sane dicendi essent veteres, qui alias minutias diversorum minoris momenti morborum descripsérunt, hunc principem inter alios morbum præteriissent aut superficialiter tantum tetigissent.

## LVII.

Secunda atque recentior de origine, propagatione, & causis variolarum circumfertur opinio, quam Clarissimi Listerus, Mead aliique potissimum vero illi, qui variolas novum morbum esse credunt, adoptarunt. Ipsi variolarum originem, propagationem a morsu alicujus bestiolæ venenatæ deducunt, & derivant; quæ alicui hominum vulnus inflixerat illique tale variolosum venenum instillaverat, quod dein ultro aliis hominibus communicatum, nunc partim hæreditario titulo, partim per contagium ultro propagatur, & multiplicatur.

In confirmationem hujus opinionis adducunt, quam plurima bestiarum venenatarum exempla, quarum morsus, ut illi opinantur, cum variolis congruere videntur.

## LVIII.

Ait contra est primo: Præfati autores non possunt assignare locum, ubi pri-

primo talis morsus inflictedus; nec possunt specificare bestiolam, a qua talis morsus factus fuisset, adeoque videntur talia ad libitum afferere & effingere.

Secundo: cum hoc tempore multi, & magni tractus terrarum, qui quondam nobis incogniti erant, pateant, deberet saepius talis morsus succedere, de quo nobis certe constare deberet.

Tertio: deberemus pariter admittere, quod alii morbi contagiosi, ut morbilli, lues venerea, petechiae a similibus moribus originem haberent, quod ipsi adversarii non admittunt.

Tandem quarto: ex nostris de contagio principiis deducitur princeps in contrarium ratio; demonstravimus nimirum, quod venena five ex regno animali, minerali, five vegetabili desumanatur, non sint contagiosa; adeoque quamvis predictus bestiolæ morsus reipsa demonstrari possit, hoc tamen semper ve-

rum esset, quod non sit contagiosus; & ultro multiplicabilis, quemadmodum variolæ reipsa sunt.

## LIX.

Sed dices: morsus canis rabidi est contagiosus, & ultro propagabilis, adeoque potest esse, quod alicubi detur talis bestiola, quæ prædicta sit simili morfu varioloſo & contagioso.

Respondeo, quamvis hoc argumentum prima fronte consideratum videatur habere aliquam vim; intimius vero trutinatum deſtruit funditus hanc ipsam ſententiam; quia in tractatu de contagio ostendi ſimiles morsus ut ursi, canis rabidi eſſe animalis ægri non ſani, adeoque ſe habere eodem modo, ac fi quiſquam hominum febre maligna petechiali, variolosa aut morbillosa laborans alium hominem ſanum morderet; in quo caſu homo demorsus in eundem morden-  
tis incideret morbum.

Ta-

Talem funestum casum expertus quondam fuit pie defunctus , mihiq[ue] æterna memoria venerandus Perill. Dominus Weber de Fürnberg Celebrissimus quondam Medicus Vindobonensis ; qualem mihi , aliisque repetitis vicibus narrabat : Hic illuſtris vir quemadmodum in omnibus suis negotiis perquam industrium se exhibuit , ita vel maxime in illis , quæ artem medicam spectabant ; in sua juventute omnem in his proficiendi quærebat occasionem , & oblatam lubens amplectebatur ; unde factum est , ut creatus Neo-Doctor perquam sedulus ægros præfertim in Nosocomio vulgo ( das Becken-Haus ) dicto inviseret ; morbos , eorumque symptomata ibidem examinaturus . Dum semel incideret in ægrotum febre maligna petechiali decumbentem , desiderabat statum linguæ in ægro explorare ; in quo casu incautus nimis profunde digitum in os ægri adegit ,

ut ægrotus eundem ad cruentationem usque momorderit; unde dein brevi inhorruit, & eadem febre maligna correptus, tandem ad incitas redactus fuit, ut omnes tam Medici quam consanguinei conclamatum esse judicarint. Ast præter omnium opinionem resipiscere incep-  
rat, ac tandem judicatus, altioribusque in posterum Reipublicæ muneribus fun-  
gendis servatus fuit.

## LX.

Ut vero evidentius pateat, ab ali-  
quo simili morsu contagium variolosum  
dependere non posse, considerare debe-  
mus, saltem quantum a posteriori nobis  
constat uniuscujusque proprietates, & na-  
turam; sicque videbimus, quanto inter-  
vallo inter se distent. Experientia enim  
nos docet, contagium canis rabidi, aut  
cujuscunque alterius animalis, non nisi  
per immediatum contactum communicari  
posse; contagium variolosum vero non

tan-

tantum immediate , sed & mediate per exhalationes , vapores multiplicabile esse omnes norunt ; adeoque tale contagium a morsu alicujus bestiolæ derivari nequit.

### LXI.

Nihil dicam de capsulis atrabilariis , a quibus Sylviani variolas derivare conantur. Nihil de Candoræ pixide , e qua uti alios morbos ita & variolas quidam derivant. Nihil de salibus sive acidis , sive alcalinis ; ad quos multi materiam variolosam reducere satagunt ; quia hæc omnia , aut in cerebri idæis sedem habent , aut jam superius in tractatu de contagio in genere , refutata sunt.

### LXII.

Majoris momenti , & altioris indaginis , quam omnes , quas hucusque adduximus , est illa , de causis , & origine variolarum sententia , quam nuperrime publici juris fecit , magno labore exorna-

vit Vir Eruditissimus, & Acutissimus Dominus Johan. Gothofredus de Haen Consiliarius Regius, Vir in Republica optimo meritus. Hic profundissimo, quo pollet ingenio, judicat variolas nihil aliud esse, quam aliquam evolutionis speciem ultimorum arteriosorum vasorum, cutem perreptantium; adeoque variolas dicit esse prægnantes arteriarum gemmas, paritate a plantarum gemmis desumpta; quemadmodum enim istæ debito tempore evolvi, & efflorescere solent, idem intelligendum esse de illis asserit.

## LXIII.

Princeps hujus asserti ratio exinde adducitur, quod tota animalium vita statis, & fere continuis evolutionibus absolvatur; quarum notabiliores sunt, quæ in dentitione, pilorum, barbaeque incremento, vocis mutatione, mensium preventu, seminis exuberantia, aliisque innumerabilibus partium solidarum mutationibus observantur.

Quo-

Quorum plura apud præfatum autorem tam erudite quam ornate exposita, ut alium Celsum te legisse credas, videri possunt.

#### LXIV.

Si hanc de variolis sententiam cum omnibus aliis hypothesibus, quæ ad hæc usque tempora in publicum prodiere, confero, absque omni hæsitatione judico, hanc omnibus & singulis præferendam esse; et si ex jam datis de contagio principiis alicui alteri hypothesi obstrictus non viderer, hanc ipsam præ omnibus aliis amplecterer. Neque enim ex illis, quæ contra hanc opinionem opponi possunt, ab assensu dimoveri paterer, quoniam his facilius, quam illis, quæ alias sententias premunt, satisfieri potest.

#### LXV.

Interea quemadmodum incomparabili hujus sententiæ Autori gratulor, ita

mihi gaudeo , quod in quibusdam , quæ naturam variolarum dilucidare possint , conveniamus , quamvis in multis disconveniamus ; convenimus enim in eo , quod ambo in quadam evolutione variolas constituamus . Etenim evolutio , quam Clarissimus Autor in suo systemate assumit , est gemmarum , glomerumque in minimis arteriolis evolutio , & efflorescentia , nostra vero ut dein patebit , est feminii variolosi evolutio , & multiplicatio . Sed quid vetat dicere , has gemmas , quemadmodum in vegetabilibus ex Clarissimo Linnæo , aliisque Botanicis notum est , esse glomos , foliis , floribus , quin imo etiam propriis feminibus evolutilibus , & ultiro multiplicabilibus fœtos ; in quo casu inter hanc & meam mox adducendam sententiam major esset analogismus , & fere idem sensus ; nisi quod hæc sententia in vasorum extremitatibus , ego vero in toto corpore talia feminia e-

vol-

volvi, efflorescere, & multiplicari supponam. Difficultates vero, quæ præter illas, quas Clariss. Autor ipse sibi opponit, hanc sententiam premunt, sunt sequentes.

### LXVI.

Primo: concipi non potest, quo modo minima portio materiæ variolosæ; sive illa per infitionem, sive per contagium communicetur corpori; possit prædictas arteriolarum gemmas, ut florent, in actum deducere, nisi dicatur, quod talis materiæ variolosæ portio primo excitet motus febriles, & mediantibus his motibus fiat tandem prædicta evolutio.

### LXVII.

Verum exinde necessario, sequetur, quod quilibet motus febrilis idem facere deberet, quod est contra experientiam; nam sæpiissime videmus homines febribus continuis, ardentibus, malignis,

in-

inflamatoriis affligi , absque eo , quod tales variolæ efflorescant ; quæ tamen sæpe a levissima febre variolosa extricantur. Quapropter exinde patet , quod causa materialis variolarum debeat esse aliquid aliud ; & quod illa mutatio , quæ in variolis fit circa arteriarum extremitates , sit tantum effectus non vero ipsa natura variolarum.

### LXVIII.

Secundo : omnibus notum est materiam variolosam esse contagiosam ; sed quis asserere poterit in vasorum extremitatibus , illarumque gemmis hoc contagium consistere ? nisi simul ibidem dari talia feminia variolosa admittat , quæ dato tempore evolvantur. In quo casu hæc sententia aliam præ se fert faciem.

### LXIX.

Tertio : structura machinæ humanæ est ferme eadem , ac in brutis secundum omnes vitæ evolutiones ; in brutis au-

tem

tem talis variolosa evolutio non observatur; unde inferre possumus, quod hæc in homine non propter ultimorum vasorum structuram, sed aliis ex rationibus observetur.

Quarto: Morbillosa exanthemata non dependent a prædicta evolutione, quamvis semel tantum in vita efflorescere consueverint; igitur idem dicendum erit de variolis?

## LXX.

Tandem quinto: Dantur casus, ubi sæpius idem homo bis aut etiam ter variolis laboret. Quomodo itaque fiet, ut illud, quod jam evolutum & plenarie oblitteratum est, iterato reviviscat; adeoque ex omnibus jam dictis inferre debemus, quod causa materialis variolarum ab externo corporibus communicari soleat, aut, quod, quamvis hæc aliquando diu iners in corpore lateat, & data occasione evolvatur, possit

fit tamen iterato, & in alia epidemia  
communicari, & in actum deduci.

## LXXI.

Examinatis plerisque de contagio varioloſo ſententiis ſupereft, ut noſtram de varioliſ palam faciamus opinionem. Dicimus itaque, quenadmodum ex tractatu de contagio aliunde conſtat, quod variolæ habeant ſuæ ſpeciei propria ſeminia, quæ data occaſione evolvantur, propagentur, & multiplicentur.

Hæc ſententia poterit cuique ex eo jam capite præ aliis arridere, quod fit ſimpliciſſima, & naturæ operibus maxi- me analoga, & explanandis phœno- menis, ſymptomatiſque perquam opportu- na. Cujus ulterior ratio eſt, quod variolæ debeant dici ſpecie diſtinctæ ab omni alio exanthemate contagioſo, adeo- que debeant etiam habere ſeminia ſpecie diſtincta ab omni alio; ſecus enim ratio dari non poterit, quare a varioliſ vario-  
læ

læ tam per infitionem, quam per contagium, & non alia exanthemata propululent.

Quemadmodum enim seminia vegetabilium specie inter se distincta dicimus, quia videmus, ex certo semine certam, & non aliam evolvi plantam; idem pariter de miasmate, seu seminio varioloso dicendum erit.

### LXXII.

Quod vero hæc sint vera seminia, & similia illis, quæ in vegetabilibus & animalibus videmus, patet exinde & quidem.

Primo: quia hæc uti seminia vegetabilia ultro propagari, & multiplicari possunt, quæ propagatio, & multiplicatio ex nullo alio, quam nostro principio concipi & explanari potest.

Secundo: quia, si materia purulenta variolosa examini subtilissimi microscopii subjiciatur, exhibit innumerabilia ani-

animalcula, eorumque seminia, seu ovula ultro multiplicabilia; quod

Tertio ipsa infitio variolarum adhuc evidentius demonstrat, & confirmat, quod inter infitionem, seu inoculationem plantarum, & variolarum, vix aliqua videatur intercedere differentia; nam sive surculum sive gemmam ad infitionem, aut inoculationem assumas, habebis cum tempore innumerabilia ejusdem speciei, cuius est surculus aut gemma, exinde evoluta semina; ast in hoc casu admittere debemus, omnia hæc seminia in illis gemmis jam præextitisse; secus enim cogemur dicere, hæc seminia esse producta de novo, quod admitti non posse in tractatu de contagio evidentissimis rationibus evictum fuit. Idem dicendum erit de materia variolosa ad infitionem adhibita, quod nimirum huic sint talia seminia variolosa successive evolvenda, & ferme sine fine multiplicabilia.

Qui

Qui plura similia, quæ ad firmandam nostram de variolis sententiam interfervire possunt, legere cupit, nos trahit tractatus de contagio in genere ipsi exhibebit talia magis exposita, & explana-ta, quæ, ne actum agere videamus misera facimus.

### LXXIII.

Ast aliquis objicere potest dicendo: constat experientia, a parva panificii seu fermenti massa, ingentem aliam panificii massam eodem imbui fermento; adeoque ista ulterior propagatio, & multiplicatio variolarum concipi & explanari potest absque dictis seminiis.

Respondeo: qui veram fermenti panis examinaverit, & noverit naturam; item qui variolas una cum aliis, quæ cum his junguntur phænomenis, rite per-penderit; longe aliter sentiet, quam qui talia objicere solent.

## LXXIV.

Nam primo adversarii solent hanc de fermento panis paritatem ad omne cujusque fit speciei contagium applicare; adeoque si hæc paritas haberet aliquam vim, deberent omnia contagia esse ejusdem speciei, sicut massa quæcunque per mixtionem prædicti fermenti prius fermentescens, semper est ejusdem indolis; nimirum naturæ acidæ, aut faltem acercentis; aliud vero est de contagio, quod diversas ejusdem species habet; alia est nimirum materia contagii variolosa, alia morbillosa, alia venerea, & alia scabiosa. Quis ergo mortalium lumine naturali tantum instructus, admittere poterit, omnia prædicta exanthemata ab eadem materia fermentescente dependere?

Secundo: observationibus constat, quod non tantum morbus variolosus, sed omnia alia exanthemata in putredinem ver-

vergant; prædictum autem fermentum panis naturam acidam potius induat.

## LXXV.

Sed hic oppones, quemadmodum Eruditissimus Frider. Hoffmannus cum omnibus suis adhærentibus opponere solet: materia putrida (ut variolosa) hoc habet, quod aliis mixta eadem putredine, talia inficiat; & in sui naturam mutet; adeoque mirum non est, si materia variolosa, putrida humoribus noxiis mixta, eosdem in sui indolem mutet; sique ultro propagetur, & multiplicetur.

## LXXVI.

Quod materia putrida illud in sui naturam mutet, cui miscetur; hoc jam dudum omnes agnoverunt, quomodo autem hoc fiat ferme omnes ignorarunt. Ex meis vero de contagio, & putredine principiis hoc facile & clare concipiatur; nam dixi omnem rem putridam constare ex innumerabilibus animalculis, il-

lorum ovulis & excrementis; quæ si aliqui v. g. liquido non putrido misceantur in eodem evolvantur, & multiplacentur, sicque sibi assimilent.

### LXXVII.

Eadem est ratio de fermento panis, quod magnæ panificii massæ mixtum eandem in sui indolem mutat. Ego ut hanc methamorphosim, vel dixero potius multiplicationem, intimius cognoscerem, solvi in aqua portionem fermenti panis & alterius massæ, cui fermentum panis mixtum erat; hanc solutionem examinavi microscopio, & observavi eadem animalcula, in fermento panis, & in massa, cui tale fermentum mixtum erat; adeoque signum est, quod eadem massa naturam fermenti adipiscatur, quia animalcula fermenti in eadem multiplacentur. Hoc ipsum observavit Celeberrimus Baker aliique in glutine acescente, quod componitur ex farina, aut amy-

amylo & aqua. Vide ejus partem I.  
Cap. IV.

## LXXVIII.

Tandem ubi adversarii aliud effugium non inveniunt, illam adeo decantatam objectionem in sui auxilium assument; dicunt nimirum putredinem esse quidem cum variolis conjunctam, item in rebus putridis omnino observari praedicta animalcula, sed illa esse effectus putredinis, non vero ipsam putredinem.

Quamvis ad hanc difficultatem jam in tractatu de contagio responsum fuerit; quia tamen haec difficultas saepius moveri consuevit, debet hic pro possibili convelli. Adversarii ipsi admittunt, quod materia putrida in variolis, purpura, petechiis, lue venerea, aliisque similibus morbis, alteri corpori communitur, propagetur, & multiplicetur. Adeoque sicut praedicti morbi specie inter se differunt, debet necessario etiam praedicta

dicta materia putrida v. g. variolarum specie differre a materia putrida luis venereæ, & aliis. Sed ista differentia non potest in alio confistere, quam in diversis animalculis, eorumque seminiis; nam materia putrida secundum mentem adversariorum considerata non admittit aliam differentiam, nisi magis & minus, in quantum nimirum una magis altera minus putrida dici potest.

## LXXIX.

Sed clarissima instantia est in seminibus vegetabilium animalium, quia scilicet planta. A. specie differt a planta B. debebimus admittere, quod feminia plantæ A. pariter specie differunt a seminiis planetæ B. Item quamvis stricte loquendo planta A. nihil sit aliud quam semen A. evolutum, & magis in suas partes explicatum, possemus tamen laxè loquendo plantam A. ejusque partes effectum ipsius feminis A. vocare. Et quam-

quamvis alia, & nova seminia ex semi-  
ne A. & planta A. sint tantum evolu-  
ta; possemus tamen, quin imo solemus;  
sed minus proprie, talia semina de novo  
evoluta, effectum feminis A. & plantæ  
A. vocare. Sic idem dicendum est de  
animalculis, eorumque seminiis in rebus  
putridis observatis. Quamvis enim pu-  
tredinis multiplicatio re ipsa nihil aliud sit,  
quam animalculorum, ovulorum, eorum-  
que excrementorum ulterior propagatio,  
& multiplicatio, solemus tamen hæc a-  
nimalcula, & seminia, quamvis minus  
apte, effectus putredinis vocare; cum re-  
ipsa putredo in his consistat, & ab his  
dependeat; adeoque ipsa putredo potius  
pro effectu habenda sit. Unde cognosces  
B. L. quam male ex odore rerum  
putridarum nauseoso essentiam putredinis  
extorquere fatigant multi, quia nimi-  
mirum talem odorem a particulis fulphu-  
reis valatibus & quidem merito deri-

vant; in his ipfissimis particulis sulphureis volatilibus essentiam putredinis pariter constituant, cum prædictus odor sit potius effectus quam ipsa putredo dicendus. Plura vide capite de putredine.

## LXXX.

Sæpe contingit, ut in rebus physicis, & medicis causa, essentia & effectus invicem confundantur; ut inflammatio est stasis sanguinis in minimis arteriolis; item causa immediata inflammationis est illa ipsa stasis, ipsa tamen inflammatio solet etiam considerari tanquam effectus illius stagnationis. Idem videmus in physicis v. g. in frigore: frigus est quies particularum, & simul illud dependere dicimus a tali particularum quiete.

Itaque multa solemus respectu nostri, & sub diversa ratione considerare, quæ re ipsa unum idemque sunt,

## LXXXI.

## LXXXI.

Hic quæri potest an variolarum materia seu ipsum illud alias dictum miasma sit in se ipso semper ejusdem indolis an vero diversæ? Ratio dubitandi est; quia variolæ, uti superius in divisionibus, & differentiis dictum est, sœpe ita variant, ut vix sibi similes videantur.

Respondeo absurdum non esse si semina variolarum dicantur inter se differre; hoc ipsum videmus in seminibus animalium, & præcipue vegetabilium; sic dantur diversæ species pyrorum, pomorum, cerasorum, & aliorum.

## LXXXII.

Interim hoc admittere debemus, quod diversitas, quæ aliquando in variolis observatur, dependeat sœpe a certa constitutione temporum, loci, aut ægroti, observationes enim nos docent, quod semina variolarum discretarum, & benignarum sive per contagium, sive per

infitionem alicui communicentur , aliquando in variolas malignas degenerent ; idem a contrario saepius observavi , ex confluentibus , & malignis in aliis subjectis exortas fuisse discretas , & benignas . Item ex relationibus constat in certis regionibus graffari variolas plerumque malignas & lethales , sic nulli dicuntur tam funestae esse variolæ quam Nigritarum , & Cafrorum genti . Item recentissimum habemus hujus exemplum , nam 1759 . apud nos erant variolæ ut plurimum benignæ , quæ tamen eodem tempore in Dania malignæ fuisse dicuntur .

Quantam varietatem , quin imo & damnum certæ tempestates , & certi flantes venti seminibus , præsertim puberibus vegetabilibus afferant , omnibus notum est , unde mirum non est , si idem in variolis , aliisque morbis contagiosis , & epidemiacis ferme quolibet anno observemus , & unam Epidemiam ab altera differre judicemus .

LXXXIII.

## LXXXIII.

Præterea præterire non possum, quin aliquid saltem verisimile proferam de prima, & principe sede, quam miasma variolosum in nostro corpore occupare solet: Hæc sedes videtur esse genus nervosum, sive medullæ spinalis, sive oblongatæ, sive utriusque. Ratio asserti deducitur ex symptomatibus, quæ in variolantibus præsertim statim sub initium morbi persentiuntur. Intercurrent enim diversæ horripilationes; lumborum, & spinæ dorsi dolor, diversi spasmi, quin imo sæpe convulsiones; quæ omnia a genere nervoso dependent.

## LXXXIV.

Ratio ulterior est, quia quocunque modo miasma variolosum communicetur corpori, tandem perveniet ad vasa sanguifera, sicque cum aliis humoribus leges circulationis subibit; cum vero hæc miasmata sint tam parvæ molis, ut in

va-

vasis sanguineis aliquod obstaculum tam facile non inveniant, fit, ut lege circulationis pellantur ad minima vascula nervos perreptantia, & circumambientia; quin imo ad ipsas fibrillas nerveas; in quibus facile subsistere, conquiescere, ac tandem sobolescere, & evolvi incipiunt; donec ultiro, & ad massam sanguineam mediantibus prædictis motibus spasticis excutiantur; & in vasis sanguineis, quin imo etiam in lymphaticis semper magis & magis propagentur, & multiplicentur.

## LXXXV.

Fundamentum talia, quæ forte alicui paradoxa videri possent, afferendi consistit in eo, quod observationibus constet, five miasma variolosum per contagium, five per infestionem communiceatur corpori, non soleat statim in actum deduci, sed intra octiduum, & tardius primo efflorescat; adeoque signum est.

quod

quod prima talis evolutio non fiat in vasis sanguineis, saltem non in illis, quæ sunt majoris diametri.

### LXXXVI.

Ex hoc fundamento asserere etiam possumus, quod talia miasmata variolosa in fibrillis nerveis diutissime inertia latere possint, antequam ab aliqua causa externa in actum ducantur. Item debemus admittere, quod saepe talia miasmata contagiosa a parentibus hereditario titulo possideamus, quæ diu inertia in nostro corpore latent, cum tempore vero, aut ab aliqua causa externa in actum ducantur, aut quando talia semina proprium, & quasi præstabilitum suæ maturitatis terminum attigerint, evoluntur, & efflorescant.

### LXXXVII.

Omnia hæc, quæ dixi, fundantur in certis & omnibus notis observationibus; sic constat, semina, tam animalium

um quam vegetabilium habere certos profui tam fotu, incubatu, quam evolutione terminos, adeoque idem de seminiis contagiosis dicendum erit.

### LXXXVIII.

Item experientia nos docet, & observationibus confirmatum habemus, quod fratres & forores, multis miliaribus ab invicem distiti eodem tempore, & eodem afflentur, corripianturque contagio; quales casus legi possunt in Tract. de contagio §. CXLI. Verum in his casibus nulla potest assignari causa externa excitans; neque possibile est, ut contagium in tantam distantiam agat, & propagetur, adeoque in similibus casibus admittere debemus, quod talia seminia contagiosa illis corporibus jam insint, & cum ex eodem fonte nimirum a parentibus originem habere supponere possumus, mirum non est, si eodem ferme tempore terminum maturitatis adipiscantur.

Hoc

Hoc ipsum patet ex aliis morbis hæreditariis, ut arthritide podagra, lue venerea, aliisque, qui diu antequam efflorescant, in corpore latere possunt.

### LXXXIX.

Tandem multæ observationes nos docent, quales pariter in tractat. de contagio legi possunt, quod ex animi pathematis, ut ira, terrore morbi contagiosi ut variolæ, morbilli, miliaria quasi resuscitantur, & contrahantur, & quidem sæpe tali tempore, ubi nulla similis Epidemia grassatur. Sic sæpe contingit, ut ex aspectu horridæ a variolis fœdatae faciei variolis corripiantur quidam, & exinde ægre decumbant.

Ex quibus observationibus inferre possumus, quod talia miasmata contagiosa, in similibus saltem casibus, in corpore, & quidem in genere nervoso, latere debeant; quia prædicta animi pathemata directe & immediate genus ner-

vosum attingunt, & affligunt, unde prædicta miasmata, seu seminia contagiosa commoventur, excutiuntur; & in actum deducuntur. His præmissis recepto ordine sequitur prognosis.

## XC.

Quo mitiora sunt symptomata, quæ eruptionem variolarum præcedere solent, eo tardius nimirum ut plurimum die quarta fit variolarum eruptio. In quo casu variolas fere semper discretas, & benignas observavi.

## XCI.

Ex majore aut minore gradu febris, idem dicendum est de prostratione virium, variolas benignas, aut malignas futuras præfigire possumus. Si febris sit magna cum sopore conjuncta, plerumque variolæ aut confluentes, aut anomalæ supervenire solent.

## XCII.

## XCII.

Vidi saepe prætente minore febre , quamvis convulsiones cum deliriis , clamoribus per biduum , aut etiam triduum affixerint , variolas distinctissimas , & benignas superveniisse.

Unde convulsiones , quæ eruptionem variolarum præcedunt nullum portendunt periculum , secus vero , si alio superveniant tempore ; etenim vel demonstrant , latere adhuc alia exanthemata in corpore vel metastasim in principem aliquam corporis partem factam esse.

Si sanguis e vena missus est lardaceous Bacclivius judicat , variolas malimoris futuras , quod ego ipse confirmatum observavi , si febris sit magna , & ingens virium dejectio.

Juvenes semper facilius variolas tolerant , & superant , quam qui ætate sunt proiectiores . Variolæ confluentes plus periculi secumferunt quam discretæ , item

---

discretæ anomalæ magis metuendæ, quam regulares.

### XCIII.

Variolæ, quæ impetuose, & confertim erumpunt, semper majus periculum portendunt, quam, quæ lente, & successive prodeunt; quia quæ una erumpunt, etiam una suppurantur, sicut quæ successive erumpunt, successive in suppurationem tendunt; unde in illis semper vehementior febris suppuratoria, in his vero mitior urget.

Variolæ ex facie potius, quam ex aliis corporis partibus judicantur, quare si in facie frequentes, aut confluentes fuerint, quamvis in aliis partibus distinctæ, aut raræ appareant, prognosis tamen ex illis, quæ faciem occupant, defumenda est. Variolæ, quo sub ipsa eruptione magis rubent, eo benigniores. Si in principio quartæ diei, aut finiente jam tertia die erumpant variolæ, ad  
re-

regulares spectant, & plerumque benignam inducunt indolem. Si vero in principio tertiae diei, aut secunda jam die prodeant; denique quo magis quartam diem anteverunt, eo pejoris sunt ominis.

## XCIV

Si exacta jam variolarum eruptione febris, & reliqua symptomata perseverant, signum est, alia exanthemata, ut miliaria in corpore latere, quæ non mitigantur, donec prædicta miliaria in conspectum veniant; quod in epidemia An. 1745. & 1746. fere quotidie vide ereat.

Diarrhæa, nisi excedat, ut in prædicta epidemia 1745. quæ fere colliquativa erat; nihil mali portendit adeoque non est fistula. Idem dicendum est de sudoribus, qui in variolis discretis ætate provectiones tenent.

## XCV.

Ptyalismus, qui in confluentibus & in anomalis variolis adultos affligit, si rite procedat, & quo diutius durat, eo magis ægrum levat; si vero, ut sæpe contingit, die undecima fistatur, tunc respiratio & deglutitio fit difficilis, vox rauca, & clangosa, æger inquietus, anxiosus, delirans, & micturiens, in quo casu mox convellitur, & moritur. Si vero in illo statu, quo ptyalismus fistatur, manuum pedumque tumor increscat, prædicta symptomata leviora, & mitiora esse solent.

Narium hæmorrhagiæ, quæ ante variolarum eruptionem, aut sub ipsa eruptione contingunt, ægrum potius sublevant, quam opprimunt.

Variolæ, quo magis sunt elevatæ, & turgidæ, item circulo rubro donatæ, eo melioris sunt notæ, latæ vero & depresso aut in medio foveam habentes,

aut

aut prædicto circulo rubro carentes, ut plurimum funestæ esse solent.

Infantes minus periclitantur, quam adulti, quia illis morbus congruus, ictis vero non ita, sive fœtus in utero matris, sive mulier uterū gerens, sive uterque variolis labore, semper pro utroque summum abortus & vitæ periculum subest. Variolæ lividæ aut nigræ indicant materiam acrem causticam facile in gangrænam tendentem.

Si post peractam eruptionem soporifici maneant, aut tales fiant, qui prius non erant, signum est, vel quod alia lateant exanthemata, vel quod inflammatio cerebri adsit, quam dein convulsiones & mors excipere solent.

Variolæ, quibus purpura, aut petechiae interspersæ, plerumque funestæ sunt.

### XCVI.

Si tempore suppurationis interstitia variolarum rubeant, & tumeant, si tu-

mor faciei fit competens quantitatū & qualitati variolarum, si denique tumorem faciei excipiat tumor manuum, & pedum, signum est, morbum via salutari incedere.

Si vero prædicta non succedant, aut, si tumor adsit, sed præcipitanter, aut temporius concidat, tum ægri anxiosi fiunt; & derepente moriuntur.

### XCVII.

Metastasis, quæ per modum abscessus fit, sive hæc interne, sive externe contingat, mala. Sæpe enim in superficie corporis fiunt ulcera maligna serpentia, quæ vix curam admittunt. Sic talia ulcera plena vermiculis observabantur in variolis, quæ in Insula Rugia, & Stralsundia grassabantur.

### XCVIII.

Materia purulenta variolosa ad sanguinem resorpta, si nec per urinam, nec per alvum, aut aliam viam e corpore se-

secedat, solet superatis jam variolis in superficie corporis diversos furunculos nunc maiores nunc minores formare, qui valde dolorifici, & tandem suppurati, atque aperti magnam materiæ purulentæ copiam fundunt. Hi plerumque plus incommodi, & dolorum, quam periculi secumferunt.

## XCIX.

Interim vidi tales furunculos, sat frequentes & in longum tempus protractos; nam aliquot eorum vix apertis, mundatis, & necdum consolidatis alii recentes, & sic repetitis vicibus, superveniebant; qui ægre febrem lentam, morasimum, ac tandem mortem inferebant; in similibus casibus judico, sicut partes externas, ita etiam interna viscera similibus furunculis occupari. Variolæ nothæ, alias chrystallinæ, lymphaticæ, aut fatuæ dictæ prohibentur ab aliquibus funestæ fuisse. Ego viginti &

G 4 plu-

plurium annorum curriculo s<sup>e</sup>pe & plures vidi, sed semper tales vidi, quae attentionem medicam vix mererentur; adeoque si quis exinde denascatur, forsitan ex aliqua alia nobis invisa interna lab<sup>e</sup> hoc contingere satius judicari poterit.

Tandem generalis Hyppocratis regula, & prognosis hic oblivioni danda non est; qua docemur in morbis acutis incertas esse prædictiones salutis & mortis.



## C A P U T IV.

*Sistit curationem variolarum, earumque symptomatum.*

*Item infisionem, diversisque de variolis observationes.*

---

## S E C T I O I.

### *De Variolarum curatione.*

C.

**V**enerandus artis medicæ restaurator Boerhavius in suo tractatu de variolis judicat, quod vulgari, & nunc recepta variolas tractandi methodo nemo, nisi sponte, evadat. Unde vereor, ne cuiquam eorum, qui jurarunt in verba Magistri; inofficiosus, aut injurius videar, si indicationes variolarum curativas instituam, quæ cujuslibet votis non respondebunt, respondebunt tamen ut spero, a me superius allatis causis & phæno-  
menis.

G 5 Hic

Hic tamen prænotandum judico, quod pro diverso variolarum stadio etiam diversæ exurgant indicationes; nam aliæ sunt in primo stadio, nimirum invasione, & apparatu; aliæ in secundo, seu expulsione, & aliæ in maturatione seu suppuratione. CI.

In primo illo stadio indicationes debent respicere principaliter ipsam causam immediatam variolarum, deinde primo principes effectus, qui in hoc statu observantur, uti est febris, & phlogistica humorum constitutio.

Pro causa immediata materiali variolarum constitui seminia propria variolosa, evolubilia, & multiplicabilia, adeoque prima, & princeps indicatio deberet esse, ut hæc destruantur, inertia reddantur, eorum evolutio, multiplicatio, eruptio & suppuratio impediatur; hoc fieri deberet remediis, quæ in prædictum miasma variolosum agendo, illud aut

aut iners, &, ut dic an. sterile efficerent,  
aut per convenientes vias antequam e-  
volvatur, eliminarent.

## CII.

Ast talia remedia, quæ his indicatio-  
nibus satisfacerent ad hanc usque diem  
in votis sunt; interim desperandum non  
est, quin talia, ut Clariss. Boerhavius  
confidit, ex antimonio, & mercurio,  
præparari possint. Nam experientia ha-  
bemus, quod per remedia mercurialia  
cum aliis mixta, debito tempore, ordi-  
ne, & dosi adhibita, variolæ alias con-  
fluentes futuræ, ad paucas, & benignas  
disponi possint. Tale remedium, multi-  
plici experientia comprobatum descri-  
ptum habetur in Act. Acad. Reg. Sue-  
cicæ scient: Anno 1751 vel XII. Item  
in commentariis de rebus in scient, nat.  
& med. gestis vol. III. p. 533.

Hoc remedium constat ex calome-  
lan. camphora, aloë, & resina quajaci.

## CIII.

## CIII.

Si effectus hujus remedii talis est, ut ibidem laudatur, tunc aliter hoc fieri non potest, quam quod prædicta feminia variolosa secundum quid e corpore eliminentur, & inertia reddantur. Aut quod corpus ita disponant, ut numerosa & frequens variolarum evolutio impediatur. Si itaque talia remedia in rerum natura existunt, quæ miasma variolosum secundum quid iners efficere possint, sperandum est, fore, ut alia adinveniantur, quæ illud in totum evertant, & iners reddant.

## CIV.

Aliud fundamentum hæc asserendi deduci solet ex eo, quod in variolis phlogistica, & inflammatoria quædam indoles adesse observetur; nam sanguis venæ fectione extractus lardaceus ut plurimum esse solet; adeoque sicut videmus alias inflammationes, ut pleuritidem,

pe-

peripneumoniam, erysipelas discuti s<sup>e</sup>pe  
absque aliqua suppuratione, idem fieri  
posse in variolis autumant multi.

## CV.

Attamen si a posteriori consideretur  
phlogistica constitutio humorum, quae in  
variolis observatur, videbimus, quod  
differat ab illa, quae in aliis morbis in-  
flammatoriis obtinet.

Nam illam venae sectionibus, iisdem  
que antiphlogisticis remediis tractamus,  
quemadmodum alias inflammations; &  
tamen nunquam absque suppuratione ac-  
min attingere videmus, uti alias inflam-  
mations. Quapropter exinde cognoscere  
possimus magnam hic interesse dif-  
ferentiam, quod ex nostris de contagio  
principiis facile concipitur, nam in va-  
riolis humores nostri corporis corrumpun-  
tur, & conspurcantur, dum seminia va-  
riolosa evolvi & multiplicari incipiunt,  
tunc enim animalcula illa deponunt co-  
pio-

pioſa excrementa, & ovula, quæ humoribus nostris mixta eosdem corrumpunt eodem modo, uti diximus de aqua nuceriana putrida, & exinde turbida reddita; vide tractat. de contagio.

## CVI.

Itaque hic monendum duco, quod ſæpe fallamur, dum credimus variolas fine suppuratione ſuum curſum abſolvif-ſe, ego ipſe multos ſimiles caſus habui, qui mihi imposuerant, dum credebam miasma varioloſum per urinas feceſiſſe e corpore abſque suppuratione; ſic 1759 & 1760. ex quinque prolibus idem cu- bile inhabitantibus una corripiebatur va- riolis utcunque diſcretis & benignis, hac vix sanitati jam reſtituta, ægrotabat alia cum ingente febre, ſiti, inquietudine; denique videbatur adeffe totus appa- ratus ad variolas; quare ſanguis mitteba- tur, clyſteres emollientes quotidie inji- ciebantur, & antiphlogistica in uſum vo-

cabantur; die tertia morbi, qua variolas expectabamus, deferuerunt in totum febris, & ægra bene valebat. Quia vero urina cum copioso sedimento secesserat, credebam miasmata variolosa motu febrili digesta, & cocta per urinas eluminari; ast experientia aliter docuit, nam altera soror brevi post corripiebatur variolis; cui aliquot post diebus successit prædicta ægra.

## CVII.

Cum itaque remedia, quæ ipsum miasma variolosum juxta jam datas indicationes directe attingant, necdum nobis nota sint, superest, ut aliæ formentur indicationes, quæ nitantur in illis præcipue duabus observationibus, jam superius notatis, nimirum, quod in primo, & secundo stadio variolarum humores nostri phlogisticam induant indolem; item quod observemus, quo magis urget febris, eo plures, & pejores erumpere soleant variolæ.

## CVIII.

## CVIII.

Quapropter respectu primæ observationis indicantur omnia antiphlogistica, diluentia sœpe, & magna copia assumpta. Victus tenuis ex hordaceis, avenaceis, farinosis, pomis horæis. Respectu autem motus febrilis excedentis indicantur jam prædicta antiphlogistica, & sanguinis missio & quidem ea quantitate, ut superfit motus febrilis, qui sufficiat variolis expellendis, digerendis & suppurandis.

## CIX.

Hæc summatim dicta sunt ; nam multa in particulari de his dicenda restant, ut hic enumeranda essent singillatim remedia antiphlogistica, quæ desumi posunt ex aquosis, nitrosis, & farinosis, acidis acescentibus, lenioribus saponaceis, aliisque humectantibus, diluentibus, & emollientibus ; ex quibus dein diversæ formulæ : mixturæ, julapia, decocta,

in-

infusa, Syrupi, Rhob, emulsa parari possunt. Verum hæc videri possunt in Clarissimorum Boerhavii, & Davidis Gorter materia medica; ideoque missa facimus.

**CX.** Unde disquirendum tantum erit, in quibus casibus, & circumstantiis aliqua eorum adhiberi debeant, nec ne. Idem intelligendum est de venæ sectione. Generales enim regulas in cura variolarum afferre non ausim; alia quippe debet esse ratio medendi in variolis discretis, & benignis, quam in malignis, & confluentibus. Item alia in infantibus, pueris, & alia in adultis; idem dicendum est de aliis casibus, variisque circumstantiis.

**CXI.**

Quare male agunt illi, qui semper fere eadem remedia præstituere solent in uno sicut in altero casu. Alii vero ad-

huc majore animadversione digni sunt, qui audent, remedia, quæ in variolis benignis proficua esse observarunt, tanquam specifica in & pro variolis malignis venditare; cum experientia doceat, variolas benignas levissimis, & fere inertibus remediis quam facillime, & felicissime ad acmin perduci posse, quod in malignis exquisita arte, omniq[ue] adhibita solertia vix obtinere fas est.

Variolæ enim benignæ vix aliam curam exigunt, quam regimen tam quoad Diætam, quam quoad aëra moderatum, & temperatum, sic enim natura ipsa totum reliquum negotium melius, quam quæcunque nimium exculta, & acuminata ars, perficiet, quod solertissimus Sydenham ipse observavit, & indicavit sectio-ne III. Cap. II. de variolis regularibus Annor. 1667. 1668. dicens: *Natura enim sibi permissa negotium suum suo tempore exequitur, materiamque debito ordine*

at via tum decernit, tum etiam expellit, & nostra ope, nostrisque artificiis, atque auxiliis non indiget, suis viribus optime instruta, suis opibus locuples, suo denique ingenio satis edocla.

## CXII.

Ex quibus edocemur, quod, si medicus, ad infantem aut puerum variolis laboraturum advocetur, quem moderate febricitantem invenit, quamvis quietudines, anxietates, deliria, aut convulsiones urgeant, non debeat statim ad sanguinis missione, vesicatoria, aut ad antiepileptica volatilia confugere; sed clysmata emollientia, pediluvia, diluentia, atque leniora antiphlogistica in usum vocare, quibus dein paccatissima, & benignissima variolarum eruptio cum praedictorum symptomatum mitigatione succedere consuevit.

E contrario, si praedicta genus nervosum irritantia, orgasmum inducentia,

atque variolas præpostere expellentia adhibeantur; sequitur festinata, & mali moris eruptio, diximus enim superius, quod variolæ, quo citius erumpunt, eo maligniores esse soleant.

## CXIII.

Quamvis venæ sectio variolas nec promoveat, nec malignas reddat, si tamen in debili, & laxo infantum corpore, & absente magna febre instituatur, genus nervosum, membranosum, & vasculosum nimiam exinde contrahit atoniam, ex quo fit, ut motus tam in expulsione, quam in suppuratione languent, adeoque miasma variolosum, quod ad peripheriam corporis pelli deberet, in partibus internis, & visceribus hæreat, diversisque formandis internis abscessibus viam sternat.

## CXIV.

Quare mirari non debemus si aliquando ex variolis benignissimis mors repen-

repentina, & inexpectata eveniat. Ego vidi aliquot tales casus, alii practici plurium meminerint similium, ubi ægri variolis discretissimis, & benignissimis laborantes, jam in vado constituti esse videbantur, conveltebantur, & emoriebantur, quales inexpectati & funesti casus non aliunde dependent quam, quod, aut diu jam latentes in corpore abscessus, aut primo a materia variolosa producti, rumpantur, materiam purulentam in nobilia viscera effundentes.

## CXV.

Interim inficias ire nolim, quod sæpe contingat, infantes non tantum magna febre variolosa, sed simul etiam febre inflammatoria cum sopore ex dentitione affici, in quo casu, quia variolæ malignæ metuendæ, sanguis in debita quantitate mitti debet, & quidem in pede.

## CXVI.

Si vero propter nimiam in tenerima hac ætate vasorum tenuitatem vena lanceola aperiri non possit, hirudines applicandæ erunt, quæ, cum gutatim cruentem evacuent, non ita debilitant.

## CXVII.

Interim observationem, cuius nullus, quantum scio, meminerit, tacitus præterire non possum, quod nimirum in illo casu, ubi febris variolosa cum febre inflammatoria ex dentitione conjungitur optimum sit, si hirudines post aures applicentur, secus enim ex convolutionibus, & sphacelo cerebri pereunt infantes antequam plenaria variolarum eruptio succedat.

Ratio hujus observationis consistit in eo, quod infantes in simili casu soporosi, & delirantes jaceant; facies eorum, sicut gingivæ, rubeat, & tumeat, quod denotat stans inflammatiā hærere in  
vasis

vatis cerebri, cerebelli, meningum, a-  
liarumque partium adjacentium, adeo-  
que si jugulares, quæ immediate cum fi-  
nibus, carotidibus, aliisque vasis com-  
municant, evacuentur, & exonerentur  
ex legibus hydraulicis, & derivationis  
sanguis carotidum, & vertebralium libe-  
riorem exinde adipiscitur motum.

### CXVIII.

Quare observavi, quod similes in-  
fantes sub ipsa operatione jam pallecant,  
quieti, & tandem somnolenti evadant,  
deinde vero exergefacti tota facie & a-  
ctionibus animalibus in melius mutati vi-  
deantur.

Quod dixi de febre inflammatoria ex  
dentitione cum febre variolosa conjuncta,  
idem intelligendum est, si nulla adsit fe-  
bris variolosa.

### CXIX.

Est præterea ratione nitri, & pare-  
goricorum in infantibus cautela adhi-

benda , ne hæc duo remedia in tenerima hac ætate eadem liberalitate uti in ætate provectionibus in usum vocentur. Quamvis enim hæc in motibus febrilibus, & spasticis domandis primatum obtineant, nihilominus tamen in hac ætate primum nimium iritat genus nervosum , alterum vero spiritus opprimit , nervosque stupefacit, ex quibus dein plus damni quam emolumenti expectandum est.

## CXX.

Supereft alia multorum , sed erronea opinio , qui judicant , vires quandoque itaque languere , ut variolarum expulsio , nisi remediis alexipharmacis volatilibus adjuvetur , perfici & absolviri non possit ; quare mox ad myrrhata , aliaque volatilia , vesicatoria , confugunt ; ex quo fit , ut non tantum febrem & variolarum numerum augeant , sed & earum qualitatem benignam in malignam saepe mutent. Quod ipse ineluctabili ex-

pe-

perientia edoctus Sydenham de variolis regularibus sentit dicens: *Neque sane ipse vidi, aut fando accepi, quemquam ex eo perijisse, quod variolæ non eruperint, et si nimis multi perierint, quorum variolæ laudabiliter eruperant.*

### CXXI.

Est tamen casus dabilis, quales ipse vidi, ut expulsio variolarum difficilis fiat; ut si nimia adsit febris inflammatoria, uti præcipue hoc fit ex dentitione, in quo casu minima vasa una cum cute nimium a spasmis constringuntur, sicque expulsio variolarum impeditur. Verum enim vero in tali casu omnia volatilia, omniaque irritantia necrotica dici debent, quia prædicta obstacula exinde augentur, convulsiones, gangræna & mors acceleratur.

### CXXII.

Quapropter in periculoso, & ancipiti simili statu, quamvis aliquot variolarum

manipuli in cute jam appareant , neces-  
faria est sanguinis missio , clysmatum e-  
mollientium , pediluviorum , diluentium ,  
& antiphlogisticorum assiduus usus ; qui-  
bus dein sat benigna succedere solet eru-  
ptio , & suppuratio .

## CXXIII.

Si tamen , quod oppido rarum , ob-  
jiciatur casus , ubi præ debilitate eruptio  
variolarum succedere non possit , ut si  
diuturna præcesserit diarrhæa , aut largis-  
sima hæmorrhagia , in tali casu omnino  
hæc adjuvanda est remediis nimis leni-  
oribus cardiacis , & expellentibus ,  
non vero nimium volatilibus , & excale-  
fientibus . Optima in simili casu sunt  
illa remedia , quæ sale volatili sulphureo  
anodyno prædicta sunt , ut flores Sambu-  
ci , chamomillorum ; crocus , sassafras ,  
& alia his analoga , quorum ope natu-  
ra non irritatur , sed suavissime ad expel-  
lenda heterogenea in corpore latentia ad-  
juvatur .

## CXXIV.

## CXXIV.

Hæc brevis, succincta mitisque variolas præcipue infantum, puerorumque tractandi ratio, est hoc tempore apud plerosque praticos recepta; quia cum longe absit ab omni violentia, est naturæ agenti, ipsique tenerrimæ huic ætati quam maxime conformis, & appropriata.

## CXXV.

Hæc ipsa methodus congruit etiam adultioribus, præsertim illis, qui variolis benignis laborant, aut primo laboraturi sunt; etenim in similibus pariter, præter regimen aëris, & diatæ temperatum & moderatum, diluentia, antiphlogistica, clysmata emollientia, pediluvia, in usum vocanda sunt.

## CXXVI.

Nitrata, paregorica, & sanguinis missio largiore, & liberaliore manu administrari possunt hic, quam in infantibus: quod de venæ sectione præ aliis  
in-

intelligi debet; nam quamvis in primo illo variolarum stadio a febri sat levi hæc vix indicaretur, debet tamen sanguis mitti, ad hoc ut facilius mitis, & benigna succedat suppuratio; diximus enim nec in primo, nec in secundo stadio, sed in & ex suppuratione subesse vitæ periculum, quia in hoc statu solet sæpe fieri raptus ad cerebrum, ex quo dein phrenitis, convulsiones, & mors sequuntur.

## CXXVII.

Item si magna sit febris suppuratoria, facile evenire potest, ut scirrhi, aut occulti interni abscessus, si qui adsunt, inflammentur, tandemque rumpantur. Ex quo fit, ut miremur attoniti variolis de se benignis aliquando improvissam supervenire mortem; quales funesti casus cuilibet medico practico noti sunt, similesque legi possunt præter alios apud Zarutum Lusitanum lib. II. historia III. Quapropter, ut funesta sympto-

ptomata in adultis tempore suppurationis supervenire solita præcaveamus, præstabit in variolis etiam benignis venam se-  
care.

Hæc sunt fere generalia variolarum  
remedia, quæ tam in infantibus, quam in  
adultis, tam in discretis benignis, quam  
confluentibus, anomalisque indicantur,  
& pro diversa circumstantiarum, superius  
jam notata ratione in usum vocari solent.

**CXXVIII.** Verum in confluentibus, anomalis-  
que variolis interdum tanta est maligni-  
tas, ut omnia supradicta remedial, nis-  
mirum venæ sectiones, enemata pedilu-  
via, diluentia, paregorica, aliaque an-  
tiphlogistica imparia obseruentur. huic ci-  
curandæ, & domandæ malignitati, un-  
de necesse fuit, ut attenti, & solertes  
practici alia atque alia, quæ magis fa-  
tisfacerent, experientur, nobisque com-  
municarent, quorum hic meminisse necel-  
se erit.

Quia

Quia vero in prædictis malignis variolis quolibet die, & quolibet morbi tempore, diversa lethalia supervenire posunt symptomata indicabimus, quid quolibet morbi tempore & in diversis circumstanjiis agendum sit.

Si itaque advocatus medicus ex symptomatibus §. XXXVI. allatis prævideat variolas malignas, sive coufluentes, sive anomalas futuras, debet primo considerare febrem, quæ in similibus casibus semper magna esse solet; unde sine mora sanguis mitti debet, quod post aliquot horas repetendum est; si febris urgeat, præcipue si pulsus sit plenus, & tensus, si sanguis extractus appareat lardaceus, ætasque sit in vigore constituta, tunc sanguis ternis, aut quaternis venæ sectionibus, & quidem ad uncias fere quadraginta extrahendus est, alias enim inflammatoria constitutio non mitigatur, ut Sydenham ipse de pleuritide judicat.

## CXXIX.

In similibus casibus s<sup>e</sup>pe observamus, quod sanguis prima morbi die, aut etiam initio secundae diei, extractus utcunque laudabilis esse appareat; alter vero, qui tardius mittitur, perquam phlogisticam jam induerit indolem; quæ unica, si alia non adesset ratio, jam sufficere posset, ut tantum, prout mox antea dixi, mittatur sanguinis.

## CXXX.

Ast hanc rationem ipsa experientia testibus omnibus sanioribus practicis confirmat; etenim videmus, præmissa tali extractione sanguinis, variolarum eruptionem faciliorem & suppurationem benigniorem succedere; quidquid in contrarium objiciant theoretici, credentes in tali casu motum magis ad intra quam ad extra verti, adeoque variolarum eruptionem potius impediri, quam promoveri, quin imo variolarum retrocessum metuendum esse.

## CXXXI.

## CXXXI.

Judico enim experientia edoctus inanes esse metus, & inania verba de variolarum retro pulsione; hoc quidem videmus, quod exanthemata, qua nullam habent elevationem ut petechiae, scarlatina a certis causis externis, ut frigore facile retrocedant; de variolis vero, præsertim si aliquamdiu jam peripheriam corporis occupent, idem tam facile dici non potest; quia si quid simile appareat, hoc sit, quod variolæ, quæ plenæ & turgidæ erant, siant flaccidæ, earumque interstitia, quæ tumebant, & rubebant, concidant, & pallescant; sed hoc sit, quia humor, qui variolas & earum interstitia implebat, retrocedit, seque ad aliquam etiam partem internam recipiat; in quo casu dicere non possumus, quod variolæ retrocedant; secus enim, cum hoc ipsum in variolis discretis die undecima aut decima quarta cum euphoria

contingat, deberemus pariter dicere, variolas retrocedere; nam illo tempore pariter variolæ, quæ prius plenæ, turgidæ & tensæ erant, fiunt flaccidæ, quia humor ad sanguinem resorbetur, legeque circulationis ad renes & vesicam deferatur, sicque per urinas copiosas evacuantur.

### CXXXII.

Statuo itaque quasi jam definitum, quod quocunque variolarum tempore, sive id sit primum, sive secundum, sive tertium, seu suppurationis stadium, si adsit urgens febris, præcipue si hæc cum phrænitide, sputo sanguinis, aut alio lethali symptome conjuncta deprehendatur, possit, quin imo debeat venæsectio celebrari; secus enim actum est de ægro.

Si hæc, quæ effatus sum, autoritatibus Clarissimorum Practicorum confirmare vellem, nimis multus essem; un-

de aliquot tantum eorum adducam, reliquos quisque consulere poterit.

### CXXXIII.

Sic Barbairac Celeberrimus Medicus monspeliensis in suo consilio ad variolas alicui nobili familiæ funestas, judicat repetitis vicibus in pede, & brachio sanguinem mittendum esse; quin imo omni tempore morbi, si grave aliquod symptoma exigat, quamvis jam adfint variolæ, petechiæ, aut purpura, venæsectionem instituendam esse afferit.

Vide Mangeti Bibliothec. pract. Tom. IV. p. 714.

Idem observavit, nobisque communicavit in tractatu de variolis Expertissimus Violante, creditique, variolas certis familiis funestas, non nisi præmissis repetitis & largis venæsectionibus curari posse.

### CXXXIV.

Inter alios similes casus, qui hic Vindobonæ noti sunt, præminent ille, qui

qui perquam illustrem familiam de Stockhamer concernit; nam viventis, & florantis hoc tempore nobilissimæ hujus familiæ Parentis omnes fratres, fororesque ex variolis denati sunt, hoc unico ex largis & repetitis venæsectionibus servato.

Idem casus attigit Excellentissimam Comitem N. N. 30. circiter annos natam, & 1745. variolis correptam. Huic ego, & Eruditissimus D. Collega Staindel de Blesenet, diu noctuque adstiteramus, curam dirigente Magnifico pie defuncto Domino Weber de Fürnberg. Principium & insultus morbi variolas confluentes & pessimas præfagiebat. Non obstantibus multis, quæ jam secunda morbi die eruperant, sanguis repetitis vici bus ad quadraginta circiter uncias missus erat. Unde dein illa furibunda febris mitigabatur, variolæ, quamvis frequentes, benignæ tamen eruperant, facile

suppurabantur, & feliciter ad acmin per-  
ducebantur.

## CXXXV.

Quod vero in secundo & tertio vario-  
larum stadio, si febris adsit magna, si phræ-  
nitis, si sanguinis per alvum, per urinam  
aut per os secessus urgeat, sanguis mitti  
possit, & debeat, videre possumus a-  
pud Sydenhamium, Sidobre, Medicum  
monspeliensem; Sigism. Graffii observat.  
XIII. apud Bonetum Medic. Septentr.  
part. alt. pag. 223. & alios.

## CXXXVI.

Quod autem apud nostrates, sanio-  
res praticos hæc methodus jam dudum  
obtinuerit, patet ex Celeberrimo quon-  
dam hic Practico Sorbait; qui tractat.  
VII. Cap. XIII. de variolis periculosissi-  
mis sequentem notabilem adducit casum:  
*Illustriſſima de Berg 26. annos nata, cum  
pulvere ex lapide Bezoardico sat copioſe ute-  
retur, variola quidem affatim per totum*

cor-

corpus eruperant, sed facta ingenti fermentatione humores ita in caput irruerunt, ut in soporem & alienationem mentis devoluta esset; ita, ut oculis apertis & quasi convulsis cum ingenti stertore dormiret, & ad funestum Serenissimi Ferdinandi IV. recens exemplum jamjam apoplexia tangi videretur. In tantis rerum angustiis advo-  
catus ego, quasi, ad faciendam humorum in caput irruentium revulsionem, ut utraque pedis vena secaretur, - - aperta itaque pedis utraque vena, & adhuc fluente san-  
guine, aegra loqui caput, & de præsentif-  
fimo mortis periculo erepta fuit. Ex quo fundamento in tractatu de variolis lapi-  
dem Bezoardicum aliaque volatilia da-  
mnat; quæ ut ibidem dolet, perniciosa,  
funestaque fuere Ferdinando IV. Roma-  
norum Regi. Idem fere casus legitur  
in miscellaneis naturæ curiosorum Anni  
tertii p. 92. obs. 55.

## CXXXVII.

Ratio vero, quare in nimio calore febrili larga debeat institui sanguinis misso, ex nostris de contagio principiis facile concipitur; ostendimus enim ibidem, quod in majore calore febrili fiat major corruptio & putrefactio humorum, adeoque copiosior, & frequentior miasmatis contagiosi evolutio, & multiplicatio.

## CXXXVIII.

Ex quo ultronee deducere possumus, quod in variolis omnia evitari debeant, quæ calorem sive interne sive externe augere potis sunt; quia experientia docet, omnia hæc perquam perniciosa esse ægris. Unde exulare debent omnia vulgo dicta calida remedia; æger debet iisdem stragulis tegi, quibus sanus erat assuetus. Calor cubiculi debet esse graduum circiter 66. Verum superfluum esset plura de variolarum regimine addu-

adducere, quia hæc certis experimentis confirmata & repetitis vicibus inculcata legi possunt apud Sydenhamium; & apud eruditissimum archiatrum Antonium de Haen, in operibus ab ipso numeris in lucem editis.

### CXXXIX.

Hæc de venæfectione dicta sufficiant, reliquum est, ut remedia indicemus, quæ materiam peccantem variolosam respiciant, & enervent. Superius jam diximus, in variolis malignis, sive confluentibus, sive anomalis convenire quidem omnia antiphlogistica, nitrata, diluentia, & reliqua ibidem exposita. Verum virus miasmatis variolosi videmus quandoque esse tam malignum, ut prædicta remedia imparia huic debellando inventa fuerint.

Quapropter quam plurimis, & a probatissimis Practicis captis experimentis cortex Peruvianus, uti in omni-

bus aliis malignis febribus, ita etiam in variolis malignis observatus est esse remedium, quod omnibus aliis præferri debet. Cujus adhibendi methodus, quantum ego observavi, sequens aliis præferreda est.

## CXL.

Si ægrotus diætæ regulas sæpe transgressus fundamentum exhibit medico suspicandi, humores corruptos in primis viis latere; in simili casu debent isti prius e corpore ablui, & per epicrasim evacuari; secus enim, si tales ad sanguinem deferantur, majorem putrefactionem & malignitatem inducunt.

## CXLI.

Remedia, quæ huic indicationi inserviunt, & apprime satisfaciunt, desumi possunt ex tamarindinis, manna, casfia, magnesia nitri, aliisque similibus evacuante & antiphlogistica vi præditis; quorum effectus adjuvari, & promove-

ri poterit per sæpius injectos clysteres :  
quare absint in hoc morbo omnia aloëti-  
ca , rhabarbarina , aliaque acria , irri-  
tantia , & draſtica .

## CXLI I I.

Evacuatis itaque hoc modo humori-  
bus in primis viis stabulantibus , & præ-  
missa sufficiente detractione sanguinis ,  
statim ad corticem confugiendum est .  
Debet autem præmitti venæſectio , ut  
exinde pulsus fiat mollior , & debilior ;  
secus enim si pulsus perseverat inflamma-  
torius , nimirum frequens , durus , &  
tensus , omnes Practici observant ex usu  
corticis plus detrimenti , quam emolu-  
menti allatum iri .

## CXLI II.

Unde ille status variolarum , in quo  
fit , aut jam exacta est earum eruptio ,  
censendus est perquam opportunus exhi-  
bendo cortici , quia tunc febris est re-  
missior , & ægri , cum tunc melius ha-

beant, medico magis obsequiosi esse solent

### CXLIV.

Si cortex in substantia assumi possit, prævalet omni alii methodo, deberet autem duabus aut tribus illis secundi stadii diebus, antequam febris suppuratoria superveniat, omni nychthemeris spatio ad minimum ad unciam unam assumi; aut ejus extractum ad unciam dimidiam; aut denique omni bihorio grana quinque, sexve ejusdem salis essentialis methodo Gareana præparati.

### CXLV.

Sic enim via sternitur ad benignorem suppurationem, faciliorem exsiccationem, squamularum crustarumque citiorum separationem, ex quo dein alter resultat effectus, quod hac ratione profundiores foveæ, & ulcera maligna exedentia, depascentia, præpediantur.

### CXLVI.

## CXLVI.

Si vero quis, quemadmodum apud infantes s<sup>e</sup>pe evenit, abhorreat internum usum corticis; posset idem effectus, quamvis in remissiore gradu, ex ejusdem in clysteribus usu expectari; si nimurum ejus pulveris uncia una aut altera diu in lacte, aut alio liquido emolliente decoquatur, & filtrata s<sup>e</sup>pe injiciatur; Experientia enim oculatioribus practicis nota constat, hac methodo sanari posse febres mali moris, ac si per os cortex sumatur; adeoque idem in nostro casu dicendum erit.

## CXLVII.

Verum illud hic annotandum habeo, quod usui corticis peruviani interponi debeant copiosa diluentia, humectantia, antiphlogistica vi prædita, quæ frequenter & ea, quam ferre æger potest, quantitate exhiberi debent.

## CXLVIII.

## CXLVIII.

Ast experientia edoctus, & Autoritate Clariss. Sydenhamii, aliorumque Practicorum firmatus edicere possum, quod inter omnia alia diluentia antiphlogistica primatum obtineat Hydrogala, quæ e tribus aquæ puræ partibus, & una lactis, invicem mixtis & coctis, additique saccharo ad gratiam, constat.

Iste potus est multiplici titulo omnibus aliis præferendus ; est enim antiphlogisticus, diluens, humectans, demulcens, acrimoniam temperans obvolvens ; adeoque benigniorem, faciliorem, minusque dolorificam suppurationem reddens. Quemadmodum enim fomenta ex lacte partibus suppurandis externe applicita demulcent, leniunt, faciliorem & minus dolorificam efficiunt suppurationem ; idem dicendum erit, si iste ipse humor se in minima vasa insinuet, eaque pervadat ; foveatque.

## CXLIX.

## CXLIX.

Præterea vix non omnia alia diluentia difficulter cum nostris miscentur humoribus, facileque & subito e corpore per urinas secedunt. Hydrogala vero est humor, naturæ nostræ amicus, & ideo facile, libenterque assumitur, digeritur, & cum nostris humoribus miscetur, diutiusque in corpore retinetur. Unde dein præbet materiam laudabilem ptyalismo, & tumori, symptomatibus, in variolis tam necessariis, sine quibus vix aliquis adulorum evadere potest.

## CL.

Sanctorius medicin. static. section.  
prima aphor. 81. dicit, in morbo acuto, uti sunt variolæ, triginta circiter humorum libras dissipari & desiderari. Ast quæso, quid ergo illud est, quod ab attritu febrili assumitur, & dissipatur? Nunquid sunt humores inquilini roscidi, balsamici, & subtilissimi? remanentibus acribus, salinis, terrestribusque partibus,  
quæ

quæ in minimis vasis facillime restagnant genus nervosum, vasculosumque irritant, erodunt, ad gangrænam & spacellum disponunt.

## CLI.

Quisque autem concipiet, quod illud roscidum, & subtilissimum dissipatum per supradictam hydrogalam facillime & appositissime refarciatur, acre tempetur, & obvolvatur, humoresque fluidiores reddantur, a stagnatione & gangræna liberentur.

## CLII.

Sed dices, omnia prædicta commoda, quæ hydrogalæ adscribuntur, ab emulsinibus speranda, & expectanda sunt.

Respondeo ab hydrogala longis, multisque paraxangis superari omnia emulsa; nam experientia nos docet, omnes emulsiones continere in se aliquid crudi, & flatulenti, unde fit, ut in primis viis diutius hæreant; etenim subtilissimæ supradictionis sindicatio-

lissi-

lissimum illarum aqueum principium reforbetur ad massam & circulum humorum, crassum vero & terrestre intra rugas ventriculi, & intestinorum diutius moratur, corruptitur, flatulentias, ructus, spasmos & anxietates plerumque excitat. Ast omnia hæc mala ex hydrogala pertimescere non possumus; nam hæc est liquidum aqua dilutum, tenuissimum, quod secundum totam substantiam facile transit vasa lactea, sicque ad circulum humorum defertur.

## CLIII.

Præterea est liquidum fere homogeneum, nostris humoribus analogum, facile illis miscibile, quia illis jam mixtum erat; unde nec crudum, nec flatulentum, quia per circulationem, antequam leges secretionis subiret, jam excoctum, & per attritum utcunque unitum, ex quo sit, ut partes ejus crassæ non tam facile sece-

secedant, & ad fundum præcipitentur, ut  
hoc in omnibus emulsis videmus.

Tandem hoc præ aliis liquidis com-  
modi ex hydrogala habemus, quod in  
omni casu, & quibuscumque urgentibus  
symptomatibus, sine omni detimento,  
quin imo potius magno cum emolumento in  
usum vocari possit; sive enim menstrua flu-  
ant, sive non; sive adsit diarrhæa, sive absit,  
semper confert, teste expertissimo Sydenha-  
mio, micturitionem mitigat, ptyalismum  
facilem & diuturnum reddit. Alia vero  
est ratio de emulsis, quæ menstruanti-  
bus, & diarrhæa laborantibus, ut pra-  
etiticis notum est, perniciosa esse solent.  
**CLIV.**

Quod vero illa, quæ de his, præ-  
cipue autem, quæ de usu corticis dixi,  
longo usu probata, illustriumque Medi-  
corum repetitis observationibus confirma-  
ta hoc tempore habeantur præ reliquis  
legi possunt observations, & epistola

Cla-

Clarissimi Georgii Bayly ad Clariss. Pemperton scripta de usu corticis peruviani in variolis. *Vide Commentar. de rebus in scient. nat. & med. gestis Tom. III. pag. 7.*  
**CLV.**

Expertiss. Alexander Monro, Professor Edinburgensis per diversa capta experimenta probat, ostenditque, corticem non tantum in gangræna, & sphacello, sed etiam in variolis esse specifcum remedium: *Vide acta Edinburgensia in germanicum versa Tom. V. part. I. pag. 109.* Idem sentit Richardus Morton in tractatu de variolis, aliique plures celebres Practici.

**CLVI.**

Sed unus pro omnibus sua autoritate consummataque experientia valet Eruditissimus, & Magnificentissimus Cæfareus Archiater D. de Haen, cuius elegantissima opera hic typis data quisque hac de re consulere poterit.

*Tom. II.***K.****Nunc**

Nunc ordine sequerentur paregorica,  
eorumque tam deprædicatus in variolis  
usus, exponendus; verum opportunior  
erit occasio de his sectione sequente,  
dum symptomatum curationes tractabi-  
mus, differendi.

## CLVII.

Quare, cum prognosim judiciumque  
de natura, & indole variolarum ex illis  
potissimum, quæ faciem occupant, desu-  
mere soleamus, debemus in primo, &  
secundo variolarum stadio esse solliciti,  
ut illæ magis ad partes inferiores allician-  
tur, & determinentur; hoc autem af-  
sequemur, si clysmata emollientia sæpius  
injiciantur, si pediluvia cum lacte, aut  
cum incoctione specierum emollientium  
adhibeantur; quibus efficiemus, ut cutis  
aspera, & tensa præcipue partium infe-  
riorum una cum ejusdem vasis emol-  
liatur, & laxetur; ex quo fiet major  
impetus & nisus humorum ad has partes

mi-

minus resistentes , variolarumque ibidem  
major proventus.

## CLVIII.

Ex eodem fundamento , judico , non  
absolum fore , si adulti variolis labora-  
turi , aliquoties simili emolliente balneo  
toto corpore utantur , ut non tantum  
facilior fieret variolarum expulsio , sed  
& benignior suppuration . Neque enim  
fundamentum aliquod in contrarium novi ,  
excepto quorundam hominum præjudicio ;  
præcipue si ætas , viresque ægroti tale  
balneum ferre possint , & si ægri statim  
post balneum ad lectum , & udorem se  
componant.

## CLIX.

Ex veterum Medicorum monumen-  
tis notum est , quam frequens , quam  
proficuus fuerit in diversis , sed præci-  
pue acutis morbis , balneorum emollienti-  
um usus : hæc apud Hippocratem , Ga-  
lenum , Lælium Aurelianum , Arætaum ,

Celsum, & Trallianum videri possunt; cur autem in morbo acuto variolofo balneorum usus non etiam admittatur, non video.

Sic Clariss. Varnier variolas retro-pulsas, optime balneis ad superficiem corporis revocare solebat. Vide Comment. de reb. in med. gestis vol. VII. pag. 478.

### CLX.

Ex observationibus Sydenhamii datur quædam species variolarum malignarum, quæ statim sub sui initium Gan-grænosam indolem præ se ferunt; nam nigredine fuliginem repræsentant, foetorem intolerabilem spargunt, unde tales variolæ denotant summum putredinis gradum; sanguis in similibus casibus non est spissus, tenax, sed dissolutus, diffluens vix cohærens. Quare evenit, ut suis vasis vix coerceri valeat, sed vel per urinam, vel per alvum, sputum, vomitum, aliamve viam una cum anima extum

tum fibi paret. Talis epidemia variolarum maligna erat 1574. in insula Ruegia, & vicina urbe Stralsundia, ubi detractis crustis subjecta caro putrida, & gangrenosa apparebat.

## CLXI.

In similibus funestis casibus spiritus vitrioli unicum videtur superesse remedium, quod ad gratam aciditatem decoctis julapiis, aliisque liquoribus possetis misceri, & in usum vocari debet. Eadem est observatio Expertiss. Joan. Huxham de annis 1737. & 1738. cuius haec sunt verba: *In epidemicis parvis, atris & gangrenosis variolis optima sunt subausta, cortex peruvianus, elixirium, aut spiritus vitrioli.* vid. comment. de rebus in scient. nat. & med. gestis vol. II. pag. 522.

## CLXII.

Hæc, quæ hucusque de variolarum tam benignarum, quam malignarum curatione attuli, sunt hoc tempore vix

non ab omnibus sanioribus Medicis practicis recepta, & approbata; supersunt tamen adhuc quædam aliquorum non contemnendæ variolas tractandi methodi, quas brevitate, qua par est, pertractabo.

Sic cum quidam Medicorum oculatores vidissent, quod quandoque variolæ præcipue malignæ, quacunque ex prædictis methodo tractentur, difficulter, aut plane non ad felicem perducantur exitum, inceperant cogitare, & eaperiri, quid remedia mercurialia in similibus malignis epidemias efficere valeant. Hæc methodus fundatur in nostris de contagio principiis, ubi ostendimus, mercurialia remedia esse generalia, & specifica anthelmintica, adeoque hæc convenire debere in omnibus morbis, putridis malignis, exanthematicis, ut petechiis, miliaribus, variolisque malignis.

## CLXIII.

Sic in febribus malignis Brandelii epidemicemice grassantibus Josephus Benevenutus mercurium cum cortice peruviano mixtum tanquam specificum remedium deprædicat in epistola ad Bartholomæum Beccarium, ubi ex ducentis ægris febre maligna laborantibus, & prædicta methodo tractatis nullus desiderabatur. Vide comment. de rebus in scient. nat. & med. gestis vol. V. pag. 668.

## CLXIV.

Sigismundus Grassius multis captis experimentis observavit, mercurium uti malignarum febrium, ita vel maxime variolarum esse summum alexipharmacum; quemadmodum in observatione LVI. ita effatus est: *Multi damnant mercurium in variolis, sed censura nimis rigorosa, non enim respondet ejusmodi maledictis experientia.* Vide miscellan. curios. med. Physica Acad. nat. curios. Ann. tertii, pag.

93. Idem ibidem pag. 13. sensit Franciscus Bouchardus observatione IX. de mercurii dulcis in variolis usu. Item Clariss. Bohnius dicit, perfectam variolarum curam in antimonio, & mercurio consistere. Idem experti sunt Clarissimi Fortunatus Bianchini, & Joan. Baptista Moreale, aliique plures Celeberrimi Practici, ut videre est in comment. de rebus scient. & med. gestis, volumine Xmo pag. 237. aliaque plura legi possunt in nostro tractatu de contagio.

## CLXV.

Videtur tamen apud hos, aliosque celebres viros in modo mercurium adhibendi magna intercedere differentia; aliqui enim utuntur mercurio vivo depurato cum syrupis aut conservis in bolos redacto; alii confidunt in æthiope minerali, ut Loob, vide der medicinischen Versuche einer Gesellschaft zu Edinburgh ersten Band. pag. 456.

Alij

Alii vero mercurium dulcem, aut decoctionem mercurii vivi omnibus aliis præparationibus præferre solent. Unde fit, ut ex tot & diversis opinionibus obscura, & infida oriatur medendi methodus, alii enim præjudiciis, alii propriis fictionibus, novitate rerum potius, quam naturæ nutu reguntur, vili pendentes laudabile consilium magni Verulamii, dicentis: *Non fingendnm aut excogitandum, sed inveniendum, quid natura faciat, aut ferat.*

## CLXVI.

Si tamen de usu mercurii in variolis meam debeam aperire palamque facere opinionem, judico experientia edoctus, abstinendum esse a mercurio, qui humoribus nostris misceatur, & cum iisdem per vasa moveatur; nam cum mercurius in pondere ad nostros humores se habeat, ut unum ad 13. circiter, debet necessario contingere, ut minima & tener-

rima vasa dilaceret, seque in unam, alteramve nobilem corporis partem effundat, eamque laedat; unde dein periculum majus & mors inevitabilis oriri solet.

## CLXVII.

Quapropter, si mercurium dulcem cum aliis purgantibus mixtum propinemus, debet iste in maiores portiones, seu ut dici solet grosso modo divisus, aut contusus exhiberi ad hoc, ut fere integra mole per intestina feratur, siveque per alvum egeratur. Continget tamen, ut liquor gastricus, bilis, succus pancreaticus, aliaque liquida ingesta, aliqua virtute anthelmintica imbuantur, quam dein, dum aliis humoribus circulantibus miscentur, communicant eisdem. Hoc videmus, quod mercurius in aqua digestus, decoctus aut methodo Gareana trituratus liquidis virtutem vermifugam conciliat, & communicet, adeoque idem in nostro corpore contingere debere nullus dubito.

## CLXVIII.

## CLXVIII.

Gundelsheimerus illustris quondam Medicus, Regiusque Borussicus Archia-  
ter aliam adoptarat variolas curandi me-  
thodum, quæ ab omnibus aliis quoad  
quid esset diversa; propinabat nimirum  
variolis laboranti, singulis alternis diebus  
medicamentum emetico-catharticum, quod  
e tartaro emetico, manna, aut cassia com-  
positum erat. Hoc fere unico remedio,  
& regimine moderatissimo, se positis  
omnibus aliis artificiis suos tractabat  
ægrotos.

## CLXIX.

Clarissimus Stahlius suo jam tempo-  
re singula hujus methodi momenta sol-  
licite & exacte excusserat, ut vix ali-  
quid ultro desiderari possit. Interim si  
familiaria quædam variolis symptomata  
intimius consideramus, emeticam prædi-  
cti remedii vim haud approbare possu-  
mus; notum enim est, deliria, & de-  
glutitionem difficultem familiaria esse vario-

larum symptomata , multumque negotii ægris facessere. Verum unusquisque a studio partium alienus facile cognoscet , quantum hæc duo symptomata a prædicto emetici nisu superiora versus augentur , ut exinde plus detrimenti timendum , quam emolumenti sperandum sit.

## CLXX.

Aliud autem dicendum est de leni evacuatione per alvum debito tempore , & debito modo instituta ; nam hæc effectum fere priori emeticæ evacuationi contrarium exercere solet , nisum enim & motum humorum , qui ad partes superiores tendit , ad inferiora determinat , ex quo dein sperare possumus , fore , ut cerebrum & fauces a suo onere liberentur , phrenitica illa dispositio dissipetur , & deglutitio liberior reddatur.

## CLXXI.

Hanc ipsam semitam felici eventu sequuti sunt plures illustres in arte medica Viri : Clarissimus Joan. Freind expertus est

est secundos effectus ex purgantibus in secundaria confluentium variolarum febre, uti apud eundem videre est.

Sydenham ipse in schedula monitoria est ejusdem opinionis, asseritque ibidem: *duro huic nodo durum cuneum aptandum esse.* Idem legi potest in libello: legs d'un ancien Médecin à sa Patrie pag. 137.

Verum omnium optime nos propriis & repetitis observationibus docuit Eruditissimus Thomas Simson, qui indefessa sua industria expertus est, quod delirium in variolis, si passim recepta methodo copiosis paregoricis tractetur, augeatur, & æger exinde in pejus ruat, a laxantibus vero antiphlogisticis quam optime abigatur, & sopiaatur. Nec obstat vi dentur dicta Hippocratis de morbis popularibus: *mortuus est, quia purgatus est.*

Nam hic intelliguntur purgantia acria, draistica, veteribus usitata, non vero lenia laxantia antiphlogistica, de quibus hic est sermo.

CLXXII.

## CLXXII.

Supereft, ut quam breviflffe attin-gamus methodum, qua Arabes, aliique primi de variolis Scriptores, eafdem tra-ctabant. Hæc videtur maximam par-tem conftitiffe in lentibus, lacca, traga-canto, diversis acidis, opio. Sic Syru-pus Avicenæ ad variolas conftat ex fuc-co foliorum papaveris viridis, & fucco citri. Quæ cum fint demulcentia, ob-volventia, leniterque pellentia, nihil ab-foni in fe continent.

## CLXXIII.

Post Arabes medicos apprimus fuit Bayrus, qui 1542. variolas Auguftæ Taurinorum accuratiffime descriptis, & quam apposite traictavit; nam remediis temperantibus, diluentibus antiphlogisti-cis, & venæfectionibus totum negotium afolvit, ut hoc tempore vix aliquid fu-perfit addendum. Hic aliquid dicendum eſſet de quarto, & ultimo ſtadio vario-

larum, seu de earum exsiccatione; quia vero, qui attigit hunc statum, jam invado esse plerumque dicendus est, incommoda, quæ hic persentiuntur, ad symptomata reducimus, de quibus sectione sequente tractabimus.

#### CLXXIV.

Pro coronide hic mentio facienda est de infitione, & inoculatione variolarum adeo decantatis. Hæc artificialis variolas propagandi methodus, primam debet sui originem Circasiis, Armeniis, Græcis, aliisque orientalibus populis, quæ dein in Europam invecta a multis in cœlum usque extollebatur, a multis vero vituperabatur; unde factum est, ut pro & contra acerrime, & argutissime ad hanc usque diem decertatum fuerit; quemadmodum nuperrime inter Eruditissimos Viros: Magnificum Dominum Ar- chiatrum de Haen, & Dominum de Tif- fot hac de re litem ortam & insigni eru- ditio-

ditione, magnoque candore in utramque partem propugnatam, novimus.

Absit, ut audeam inter hos, aliosque Viros, eruditione, experientiaque claros quidquam determinare, arbitrumque agere.

Adeoque proponam tantummodo speciales difficultates, quæ ex nostris de contagio principiis contra hanc artificialem variolas propagandi methodum pugnare videntur.

### CLXXV.

Notum est hoc tempore omnibus, præcipue vero topiariis, vegetabilium evolutions artificialiter accelerari posse; idem effici posse in animalibus, præsertim in infectis, nos docuit indefessæ industriæ Celeb. Raimarius in suo pretiosissimo Tractatu de infectis gallice edito. Unde mirum non est, si etiam variolas per infisionem accelerare possimus, cum ex nostris principiis hæ ipsæ habeant pariter, ut vegeta-

getabilia & animalia, sua propria feminia.

## CLXXVI.

Verum experientia nos docet, omnem præmaturam evolutionem longe inferiorem esse illa, quam natura debitò tempore instituit, adeoque non esse ita perfectam, & absolutam.

Ad hoc vero infisionis Patroni oggerere solent; quod experientia cuilibet obvia constet feminia terræ mandata sylvestres & austeros proferre fructus; quod vitium dein infitione aut inoculatione emendari & corrigi potest. Adeoque infitione & inoculatione videntur res potius perfici, & emendari quam labefactari. Verum manum de tabula; etenim jam diximus, hæc non esse nostri propositi.

## C A P I T I S I V.

## S E C T I O I I.

*De curatione symptomatum, quæ  
in variolis observari solent.*

## CLXXVII.

**V**ix assignabile est symptoma, quod non quandoque variolis jungatur. Unde satis erit meminisse eorum tantum, quæ variolas concomitari, aut subsequi plerumque consueverunt.

Symptomata autem, quæ eruptionem variolarum præcedere solent, mitigantur diluentibus, emollientibus nitratis, aliisque antiphlogisticis jam superius recensitis; item pediluviis, clysmatis emollientibus; aut etiam, si febris exigit, venæfctionibus; nam superveniente dein variolarum eruptione, symptomata gravissima, ut vomitus, convulsiones, deliria mitigantur, aut plane abiguntur, quem-

quemadmodum jam superius dictum fuit,  
neque enim restat hic quidquam ultro  
adjiciendum.

**CLXXVIII.**

Verum altioris sunt indaginis illa  
symptomata , quæ eruptionem & suppu-  
rationem concomitantur , aut subsequun-  
tur ; etenim facta jam variolarum expul-  
sione nihilominus quandoque convulsio-  
nes , inquietudines , anxietates perseve-  
rant , quæ denotant , materiam exanthe-  
maticam purpuraceam , aliamve adhuc in  
corpore latere.

**CLXXIX.**

In simili casu , si omnia prædicta re-  
media CLXXVII. jam in usum vocata  
fuerint , nihil superest , quam , ut medi-  
cus epispastica præstituat , quæ materiam  
peccantem a centro ad peripheriam cor-  
poris avocent . Interea vero copiosis di-  
luentibus , & antiphlogisticis quam dili-  
gentissime insistendum est .

**L 2****CLXXX.**

## CLXXX.

Quia vero tales variolæ ad malignas reduci debent , antiseptica , specifica , ut cortex peruvianus , in usum vocanda sunt , ut superius §. CLIV. jam diximus

## CLXXXI.

Diarrhæa , si non excedat modum , intacta relinquuntur debet ; si vero nimium urgeat , ut vires exinde deficiant , sicque obstat , quo minus variolarum debita eruptio , suppuration , uti & faciei , manuum , pedumque necessarius subsequatur tumor , tunc debet appropriatis remediis tractari . In tali enim casu signum est aut aliquam materiam acrem in tractu intestinorum hærere , aut eundem intestinorum tractum a variolis obsitum esse ; a quibus causis dein perpetua intestinorum irritatio , stimulusque derivari debet ; uti hoc clare videmus in illis variolis , quæ fauces occupant .

## CLXXXII.

## CLXXXII.

Quare in simili casu convenient omnia,  
quæ demulcent, leniunt, acre abluunt,  
leniterque roborant; unde clysmata emol-  
lientia ex decocto radicis Althææ, se-  
minum Lini, cydoniorum, pedum ver-  
vecinorum cum gummi Arabico, & The-  
riaca veneta optima sunt.

Interne vero decoctum album, aut hy-  
drogala cum lacte chalybeato præparata;  
aliaque similia cum paregoricis omnem  
absolvunt paginam.

## CLXXXIII.

Si vero tanta sit humorum colliqua-  
tio, ut omnia prædicta remedia imparia  
sint huic urgenti tollendo symptomati,  
tunc specificum remedium expertus sum  
in spiritu vitrioli, aut sulphuris per cam-  
panam, qui in diversa formula, prout  
ægro magis arridebit, præscribi poterit.

## CLXXXIV.

Ast idem hoc remedium, & ex eadem causa plurimum valet & in illo casu, ubi sudoribus videtur diffluere æger, & nec ab hydrogala sero lactis, emulsis paregoricis, aliisque similibus auxilium aliquod experitur. In simili casu æger refrigeratur, & refocillatur ex jam dicto remedio.

## CLXXXV.

Est vero aliud, & quidem periculosisimum symptoma, ubi sanguis dissolutus, & quasi colliquatus, ut dictum est §. CLX. suis vasis coerceri nequit, siveque per diversas vias, nimirum vel per sputum, per urinam, aut per alvum secedit; in hoc casu debent non tantum prædicta demulcentia, & humores in crassantia, sed præterea spiritus vitrioli in usum vocari, secus enim in simili desperato casu vix aliquid boni sperandum restat.

## CLXXXVI.

## CLXXXVI.

Ratio hujus aliorumque supradictorum ex effectibus, quos spiritus vitrioli in nostro corpore exerere solet, desumi debet; nam febrilem motum mitigat, humores dissolutos aliquantum compaginat, compingitque, vasa laxa hiantia, aut aperta firmat, ut impetui humorum magis resistere possint. Hæc, quæ assero, præter alias confirmat Clarissimus Allen in synopsi universæ medicinæ practicæ capite X. Articulo LXVII. dicens: *Spiritus vitrioli, vel ejusdem oleum in aqua simplici instillatum in bæmorrbagiis periculosis est extreum remedium, & raro fallax.*

## CLXXXVII.

Hæc itaque intelligi debent de hæmorragiis, quæ a prædicta causa, nimirum ab humoribus dissolutis dependent. Adeo vero in variolis sæpe alia hæmorrhagiæ species, quæ a nimio humorum motu, eorumque orgasmo dependet; in

quo casu vasa, præsertim minima, nimium distenduntur, & a fortioribus systoles & diastoles ictibus nimium atteruntur, ex quo fit, ut oscula eorum facile aperiantur, aut rumpantur; sicque sanguis sæpe una cum anima exitum quærat.

Talis hæmorrhagia contingere solet in prima illa ebullitione, quæ variolarum expulsionem præcedere solet; aut tempore suppurationis; quia his temporibus adeit summus humorum orgasmus, febrisque, quam de inflammatoria indole participare diximus.

### CLXXXVIII.

In hac hæmorrhagia, nisi sanguis in sufficiente quantitate mittatur, remediis, quibuscunque pharmaceuticis nihil efficies; venæsectione vero præmissa ex remediis antiphlogisticis, & paregoricis multum sperandum restat.

Si vero neque ex his resipiscat æger, tunc ad prædictum spiritus vitrioli remedium

dium, aut ad usum aluminis methodo,  
& consilio Eruditissimi Helvetii, con-  
fugiendum erit.

### CLXXXIX.

Delirium, phrenesis sunt duo pericu-  
losissima symptomata, quæ variolis præ-  
fertim malignis sæpe adjunguntur. Si  
hæc in primo variolarum stadio, nimirum  
ante earum eruptionem adfint, tantum  
periculi non portendunt; quia peracta &  
completa eruptione mitescunt aut eva-  
nescunt.

Ast multo majoris sunt momenti, si  
tardius, nimirum tempore suppurationis,  
aut posterius, dum febris secundaria ac-  
ceditur adveniant; signum enim est  
in tali rerum statu, aut vasa cerebri in-  
flammata esse aut cerebrum genusque ner-  
vosum a materia exanthematica occupa-  
ri; unde dein convulsiones, gangraena,  
morsqæ metuenda sunt.

## CXC.

Quapropter in simili periculoſo ſtatu, ſi febris urgeat, debet prius ſufficiens ſanguinis quantitas detrahi, uti hoc jam probavimus, & diversis obſervationibus conſirmavimus §. CXXXVI. & CXXXVII. Dein debent diversa clyſmata emollientia injici, item ſuperius jam adduēta antiphlogiſtica in uſum vocari; debet præterea capillitium abſcindi, aut radi, ut caput magis transpirare poſſit; item debet æger ex confilio Sydenham electo eximi; tandemque debent veſicantia partibus inferioribus applicari, & capiti raso columbæ vivæ recens cultro in duas æquales partes diuiſæ, & naturali adhuc calore præditæ, apponi, ſæpiusque renovari.

## CXCI.

Quod vero veſicantia concernit, generaliter & probe notandum velim, ne unquam fervente febre, niſi prius ſufficiens ſanguinis quantitas detracta fuerit,

appli-

applicentur, secus hæc febrilem motum, inflammationem, & periculum augent.

## CXCII.

Si vero omnia hæc non ad vota mendantis, & ægrotantis cedunt, phrenesifque pertinaciter perseveret, Sydenham spiritum vitrioli suadet; dicitque Capite II. quod in febrium continuarum phrenesi sit specificum remedium, cuius verba de febribus continuis annorum 1670.

4, 5. & de phrenesi his febribus superveniente, hæc sunt: *Inducias non tulit symptoma hoc, ægrum intra paucos dies tollerat, nisi inflammatio cohiceretur; atque hic mibi suppetias tulit præ aliis spiritus vitrioli post venæfctionem adbibitus, qui intra paucos dies & somnum conciliabat, & sanitatem ægro reddebat; quod nulla metbodo efficere valebam; atque hoc reiterata sœpe experientia mibi abunde constabat.*

Si itaque in phrenesi febrium continuarum epidemicarum tantas, ut audi-

vimus, habet vires, cur easdem non exerat in phrenesi variolarum epidemiarum non video. Quod mihi vestigia solertissimi Sydenhamii terenti aliquoties ad vota cessit.

### CXCIII.

Præterea judicat Sydenham, ut paſſim in ejus operibus legere eſt, copiosis paregoricis prædicta duo ſymptomata optime compesci & ſubjugari poſſe.

Sed Clariss. Thomas Simfon Celleberrimus medicinæ Professor evidentibus experimentis, & repetitis observationibus oſtendit, quod quo plus in ſimili caſu paregoricis utuntur ægri, eo magis delirent, & obtundantur; unde obſervavit, in tali caſu optima eſſe lenia purgantia antiphlogistica; quia hac ratione motus humorum ad partes inferiores magis determinatur. Exacta vero purgantis operatione, paregorica ad motus excitatos compescendos optima eſſe. Vide

acta

acta Edenburgensia in germanicum versa, volum. V. part. 2. pag. 762.

## CXCIV.

Et sane hæc ipsa methodus respondeat illis, quæ Clariss. Freindius in secunda, seu putrida variolarum febre expertus est, nobisque in suis scriptis communicavit.

Quin imo ipse Sydenham, sed sat fero, nimirum jam senex videtur hac in re primo sapuisse, nam in sua schedula monitoria dum de variolarum febre putrida seu secundaria agit, ingenuè fatetur, quod quandoque circa finem variolarum a materia purulenta variolosa ad sanguinem resorpta sanguinis orgas mus ita supra efferatur, ut æger ad incitas redactus animam mox acturus videatur, nisi statim venæflectione, purgatione, & tandem paregoricis obviam eamus, & reliqua, quæ ibidem in extenso legi possunt.

## CXCV.

## CXCV.

Ex quibus patet, neque enim credo necesse esse, ut ultro, & separatim agamus, quid in illa adeo periculosa secundaria variolarum febre agendum sit.

Interim unicum restat, ut indicem methodum illam, qua Eruditissimus Dominus Varnier magno cum fructu utebatur, ut funestam hanc febrem secundariam averteret; sicque facile & feliciter variolas etiam malignas ad finem perduceret. Res est tanti momenti, ut per opportune facturus mihi videar, si ea adduxero, quæ in Comment. de rebus in scient. nat. & med. gestis vol. VII. part. I. pag. 478. habentur. *In variolis confluentibus pone aures in nucha, femoribus, & cruribus vesicatoria bono cum successu adhibuit.* Cum autem tam *in variolis confluentibus, quam ipsis discretis a pure reforpto febris sic dicta secundaria persæpe oriatur, bæcque haud raro ægrotantes evi-*

*vis*

vis tollat. Noster (*id est Clariſſ. Varnier*) ideo, quo cuncta funesta ſymptomata evitentur, pufſulas ope instrumenti cuiusdam aperiri jubet. Optime enim rem ſucceffiſſe, atque febrem ſecundariam non ſolum impedi- tam, verum & ægrotantes optime tunc vi- ſos fuiffé, perhibet. Hincque omnibus hanc methodum commendat. Sed hic monen- dum eſt, quemadmodum Eruditissimus Dominus de Haen quam ſapientiſſime an- notavit, quod pufſulæ ſemel apertæ ſæ- pius aperiri, & a pure, quo ſtatiſ re- adimplentur, liberari, ablui, & abſtergi debeant. Sic enim impedi- muſ, ne pus ad ſanguinem tranfeat, aut in, & ſub cute in membrana cellulofa diutius hæ- reat; adeoque nec foveas profundas, nec ulcera depaſcentia efformet.

**CXCVI.**

Sympoſta, quod lotium ſeu urinas con- cernit, dupli & quidem oppoſita ratione affligere po- teſt; vel enim ſolito

ſæ-

sæpius nimiaque quantitate, quasi diabete redditur, ut contigit in dicta epidemia vide XLVII. Unde dein variolarum elevatio, plenitudo, suppuratio, debitus que tumor, & rubor impediuntur. Si enim tardius, nimirum in quarto stadio superveniat, nihil mali portendit, ut jam superius demonstratum est.

Talis miæteturio denotat, a materia acri exanthematica, aut etiam a variolis vesicam, renes, ureteres, aut etiam plexum renale, occupari, & perpetuo irritari.

### CXCVII.

Quare in simili casu omnia supradicta demulcentia, paregorica, quin imo appropriata antiseptica, ut cortex peruvianus, apprime conveniunt. In casu vero extremo spiritus vitrioli, ut superius jam dictum est, omnibus aliis præferri debet.

### CXCVIII.

## CXCVIII.

Alter vero casus , ubi urina plane  
supprimitur , plerumque dependet etiam  
a frequentibus variolis sed sphincterem ,  
uretramque vesicæ , aut etiam substantiam  
renum tubulosam occupantibus , a quibus  
dein prædictæ partes ita tument , ut nec  
libera urinæ secretio , nec excretio suc-  
cedere possit.

Aliquid simile videmus fieri a vario-  
lis , quæ fauces , quin imo aliquando  
tractum arteriæ asperæ , & æsophagi ob-  
fident , a quibus prædictæ partes ita  
tument , ut non tantum laboriosa & dif-  
ficilis deglutitio , sed & respiratio af-  
fligat.

## CXCIX.

In simili casu sapiens est Sydenha-  
mii consilium , ut æger e lecto exima-  
tur , & adstantium manibus suffultus cu-  
biculum bis , terve circumambulet ; sic  
enim mox tam magnam urinæ quantita-

tem reddet, quæ omnibus, diu recticorum tribubus in auxilium vocatis, accersiri non poterit. Ratio effectus est, quia urina ipsa, præsertim, si in vesica hæreat, propria sua gravitate sibi exitum quærerit.

## CC.

Si vero præ debilitate æger lectum deferere non valeat, aut forte adstantes, præjudiciis capti, admittere nolint, debent fomenta, uti facculi, speciebus emollientibus repleti, in lacte cocti, expressi & calidi, illi parti, ubi causa latet, applicari. His facculis substitui potest vesica suilla decocto emolliente aut lacte ad medietatem repleta, & parti affectæ apposita. Item, si non major effectus sperari potest ex milio cum lacte in puliculam cocto, & parti affectæ superimposito, clysmata emollientia injecta præbent vesicæ idem fomentum interne, quod alia supra dicta externe. Huc etiam spectant diversa interna diluentia,

&amp;

& lenia diuretica , ut species de althaea fernelii , & reliqua ex materia medica eruenda.

## CCII.

Si tamen omnia hæc suo effectu fru-  
strentur , & urina , ut fere semper fieri solet , in vesica hæreat , tunc debent ap-  
propriatæ candelæ , ex cera , & gummi arabico aliisque præparatæ , per uretram in vesicam usque immitti , quarum defec-  
tum catheter supplere poterit ; unde dein libera urinæ via , absque omni alio artifi-  
cio efficietur.

## CCII.

Superius jam diximus , quod pustu-  
læ variolosæ , quæ tumidæ elevatæ , &  
circulo rubro donatæ sunt , bonas notas præ se ferant ; si vero pallidæ , depressæ  
maneant , si interstitia earum , uti & fa-  
cies , manus , pedesque minus tumeant ,  
minusque rubeant , timendum esse , ne illa ipsa causa materialis , quæ prædi-

ctum tumorem, & ruborem constituere deberet, viscera interna occupet, gangrenam, mortemque afferat.

## CCIII.

In simili casu aliqui Practicorum mox confugere solent ad cardiaca, calida, & volatilia, sperantes fore, ut prædictam materiam morbificam hoc modo a centro ad peripheriam pellere possint. Verum experientia Sydenhamii, aliorumque docuit, exinde prædictam materiam morbificam potius ad cerebrum quam ad peripheriam determinari; unde dein phrenes, convulsiones, morsque acceleratur.

## CCIV.

Qua etiam ex ratione Clariss. Sydenham alia expertus est remedia, quæ suis indicationibus, votisque magis responderent; talia erant præter ordinaria antiphlogistica, etiam copiosa paregorica

ca

ca , ex quorum assiduo usu dicit tumorem , & ruborem in variolis resuscitari.

## CCV.

Ego vero, quod observando didici, candide afferam ; nimirum , quod qui-  
dem ex propinatis copiosis paregoricis  
plerumque prædictus tumor augeatur ;  
quia multum eorum , quæ difflari, trans-  
pirare, secerni , & excerni deberent, ab  
usu paregoricorum solito diutius in cor-  
pore retinetur ; unde aucta in corpore hu-  
morum mole mirum non est, si etiam tumor  
augeatur. Verum quia ex eadem ratione  
motus in corpore pariter languent, timen-  
dum est, ne causa morbosa in aliquo nobili-  
um viscerum sedem figat, exinde non amplius  
dimovenda. CCVI.

Quapropter in simili casu præter præ-  
dicta paregorica , & antiphlogistica curo  
applicari vesicantia; item a cardiacis cali-  
dis volatilibus abstineo quidem, his etiam  
substituo , & præstituo talia , quæ sul-

phure volatili anodyno constant; qualia sunt: v. g. flores sambuci violarum, primulæ veris, chamæmillorum; item crocus sassafras & aliquando camphora, aliaque similia plura, quæ infusa decocta, aut alia forma propinari possunt.

Ab his enim humores attenuantur, fluxilesque redduntur, & lente, non violente commoventur, sicque a centro ad peripheriam pelluntur; unde dein major prædictarum partium tumor, & rubor exurgit.

## CCVII.

In illo vero casu, nimirum tempore suppurationis, ubi variolæ in facie, manibus & pedibus debito tument, & earum interstitia valde rubent, fit ingens dolor, ardor, & tensio istarum partium; in hoc inquam casu debemus tam interna quam externe suppetias ferre, ut dolor, ardorque leniantur, tensio vero laxetur. Interne igitur convenient omnia supra

supradicta antiphlogistica, & paregorica. Externe vero fomentationes calidæ, vel potius tepidæ ex speciebus emollientibus cum vel sine lacte. Meæ intentioni, ægri commodo optime soleo satisfacere, si spongia ad hoc munus adoptata prædictæ decoctioni intingatur, exprimatur, saepiusque partibus dolentibus apponatur.

## CCVIII.

Quantum vero istæ fomentationes emolumenti, & levaminis afferant, cognoscere possumus ex illis variolis, quæ fauces occupant, quæ, quia saliva, aliquisque liquidis ingestis continuo fomentantur, & emolliuntur, flaccidæ fiunt, neque ad illam, prout in illis fit, quæ externum corporis habitum occupant, deveniunt suppurationem.

## CCIX.

Quare ordo exigit, ut de illis agamus incommodis, quæ variolæ fauces occupantes afferre solent. Princeps au-

tem incommodum est illa difficultas, quæ in deglutitione percipitur. Hæc lenitur per gargarismata ex diversis emollientibus, & mucilaginosis, ut malva althæa hordeo, avena & similibus addito nitro, & melle rosarum. Ex quibus si necessitas urget, etiam injectiones fieri possunt.

## CCX.

Huc etiam spectat ptyalismus, qui circa diem undecimum morbi bene observandus est. Est sane mirabile symptomma, quod non tantum adultis, sed aliquando etiam junioribus; item non tantum in confluentibus, sed aliquando etiam in discretis præcipue anomalis variolis supervenire solet.

## CCXI.

Quin imo non tantum in variolis, sed in aliis etiam casibus absque omni arte, solis naturæ motibus, excitata observatur salivatio; sic in foeminis, quæ hy-

ste,

stericis saepe laborant affectibus, salivationem, quasi mercurium assumpsissent, saepe vidi. Item salivationem, quae odontalgiae familiaris est, omnes noverrunt.

## CCXII.

Præterea legimus salivationem spontaneam epidemicè quandoque grassari in Act. Nat. Cur. Cent. I. obs. 137. pag. 277. Neque enim in hoc specialis difficultas videtur superesse; si enim considero, quod salivatio se habeat uti corryza, quæ a certa inclemensia atmosphæræ membranam adiposam afficiente dependere potest; non miror, si salivatio, ex eadem aut aliqua simili ratione epidemicè grassari, & affligere possit.

Sic observavit Sydenham salivationem epidemicam in febribus continuis epid. Annorum. 1667. 1668. & 1669.

## CCXIII.

Adeoque quandocunque fit prædictus humorum ad fauces affluxus succedere poterit ptyalismus, quando vero humores minus transpirant, ut in variolis plerumque contingit, fiet major humorum affluxus, vel ad alvum, unde dein in infantibus diarrhæa, vel ad fauces, unde salivatio derivari debet. Quod ultronee observationibus constat, a suppresso manuum sudore ingentem salivationem successisse. Vide *Breslauische Geschichte* obs. 36. pag. 727.

## CCXIV.

Multi clarique in arte medica viri judicant, quod illud, quod ptyalismo excernitur, fit illud ipsum pus, quod variolas, earumque interstitia occupat; sed falluntur, fit dicto venia; quia illud, quod ptyalismo excernitur, nunquam alias materiæ purulentæ notas præ se ferre observavi, data enim opera examinavi saepius,

pius, ast semper inveni, quod quisque sedulus, candidusque indagator confirmare poterit, materiam, quæ in variolis salivatione excernitur, esse plus minusve viscidam, tenacem, inodoram, & insipidam; denique in omnibus illi, quæ in corrhiza excernitur, similem; sed quis medicorum, talem materiam pro purulenta habebit? Experientia enim habemus, quod omnis materia parulenta diffluat, foeteat, partesque, quas occupat, arrodat, & exulceret, quod in nostro casu alienum est.

Hucusque consideravimus naturam ptyalismi, supereft, ut eundem consideremus, in quantum in variolis ægros alleviet, aut eos aggravet, lædat, quin imo sæpe perdat. Si salivatio facile, fine magno labore, debitaque quantitate, nimirum nychthemeris spatio ad libram unam, alteramve procedat, videtur vota Medici, & ægri explere. Hoc autem

tem obtinemus, si diluentia & antiphlogistica debita quantitate assumantur; inter quæ principem locum obtinere hydrogalam, superius jam probavi.

## CCXVI.

Si tamen non obstantibus prædictis diluentibus copiose assumptis salivatio non rite procedat, sed cum malis ægri rebus die undecima, aut etiam tardius deripente sistatur, tunc æger fit inquietus, anxiosus, respiratio fit difficilis, vox evadit rauca, clangosa, mensq[ue] labans, quæ omnia indicant, materiam salivationi inservientem ad nobilia viscera, ut pulmones cerebrumque raptam esse. In quo casu nisi tumor manuum, pedumque augeatur, de ægro conclamatum esse, experientia docet.

## CCXVII.

Unde in simili casu indicationes, sunt ut prædicta materia morbifica nobilia viscera petens, dissipetur, & ad partes mi-

minus nobiles avocetur. His indicatio-  
nibus satisfacimus clysmatibus vesicatori-  
is, et si pulsus sit fortis, venæsectio-  
nibus.

CCXVIII.

Si vero pulsus sit debilis, & celer,  
quemadmodum sœpe contingit, absit o-  
mnis venæsectio; quia in simili casu  
mors jam præ foribus est; ne medicus  
videatur interfecisse illum, quem fors  
ipsa interemit.

CCXIX.

In similibus autem casibus analeptica  
præstituere debemus, quibus etiam alia  
remedia, quæ sale volatili anodyno con-  
stant, adjungi possunt; qualia sunt, ut  
superius jam dixi, flores sambuci, sassa-  
fras, crocus, quin imo aliquando etiam  
camphora, & reliqua jam dicta, quibus  
materia peccans a centro ad periphæriam  
pellitur.

CCXX.

## CCXX.

Interim si materia tenax, & viscida fauces occupat, signum est eandem totum arteriæ asperæ tractum una cum ejus ramificationibus, occupare. In simili casu gargarismata, injectiones ex emollientibus cum melle rosarum, & nitro per quam necessariæ erunt.

Ad solvendam hanc materiam viscidam conductit etiam chermes minerale, vel sulphur antimonii tartarisatum.

Ast quamvis omnia prædicta remedia in prædictis casibus in usum vocata fuerint, evenit tamen proh! dolor, saepissime, ut æger ad plures migraret; unde cogitare cœpi materiam morbificam certis nobilibus corporis partibus jam ita infixam hærere, ut quibuscumque tunc adhibitis remediis e sua sede dimoveri non possit. Quare in similibus periculosis variolis alia methodo processi, quæ mihi ad vota cessit. Nimirum studui diem, qua

qua salivatio evanescere consuevit, certis & appropriatis remediis antevertere. Sic die jam nona curavi duo vesicantia partibus inferioribus, aliquando etiam ad brachia applicari, ad hoc, ut materia peccans directa ad partes minus nobiles, viscera interna libera, & intacta relinquant.

## CCXXI.

Quemadmodum enim solliciti esse debemus de vita & sanitate totius machinæ corporeæ conservanda, ita non minus attentos nos esse oportet de oculorum, aliarumque partium affectibus, qui in & post variolas ibidem sedem figere solent.

Quamprimum Medicus præviderit variolas futuras, debet pro oculis talia præstituere, quæ earum in illis provenientum impedian, quæ ardorem, ruboremque leniant, leniterque roborent; talia sunt aqua rosarum sambuci, lac quodcunque semina sumach, cydoniorum,

cro-

crocus, & plura similia, quæ aut infusa, aut decocta, ipongia, aut linteis tepide applicari, saepiusque renovari debent.

### CCXXII.

Contingit saepe, præsertim vero tempore suppurationis, & adhuc tardius, ut palpebræ tumeant, vesicamque humore plenam repræsentent, & tales diu maneant, ægrumque luce privent; ex quo periculum subest, ne visio ipsa lædatur.

### CCXXIII.

In simili casu opponendæ erunt fomentationes tepidæ ex speciebus carminativis cum vel sine lacte, ad hoc, ut tumor eo citius discutiatur, sicque oculi eo citius aperiantur; ad quod etiam multum conductit, si post suppurationem aridæ illa crustæ, quæ præprimis oculorum angulos, seu canthos occupant, illisque tenaciter hærent, lacte tepido, aut le-

ni

ni aliquo oleo mobiles reddantur, ut facile decidere & separari possint.

CCXXIV.

Si vero dissipato jam palpebrarum tumore, oculisque jam apertis aliqua in ipsis labes observetur, alia procedendum erit methodo. Sic si maculæ quædam in cornea adsint, quæ impediunt, ne radii luminis libere ad retinam transmitti possint, tunc omnia, quæ detergente, & abluente virtute pollent, convenient. Talia sunt sacharum oculis injectum, sanguis columbarum recens, & calidus in oculos instillatus, item aqua ophtalmica cum sapone, aqua, seu infusio vitri antimonii, aut croci metallorum, quæ omnia & similia, si oculos, aliunde sensiles, nimium irritant, misceri & dilui poterunt cum aquis rosarum sambuci; sicque saepius oculis instillari.

## CCXXV.

Ast specificum detergens invenio in  
bile piscium, ut anguillarum, & luci.  
Hoc confirmat historia Tobiae cœci felle  
visum recuperantis; ex sacris enim litteris  
constat, eundem ex casu stercoris  
columbini calidi in oculos visione priva-  
tum fuisse, quod cum calidum & recens  
fuisse, legitime supponi potest etiam li-  
quidum fuisse; adeoque partim suo pondere,  
& impetu, ex casu inflammationem  
aliquam in oculis induxisse, partim ipsæ  
tunicæ corneæ, & adnatæ ita adhæsisse,  
ut leucoma, seu albuginem produixerit,  
quæ dein, præter specialem Dei concur-  
sum, etiam remediis physicis, nimirum  
felle sublata fuerat. Qui plura desiderat,  
legat Valesii physicam sacram.

## CCXXVI.

Præterea contingere solet, ut mate-  
ria variolosa, aut sanguis ipse intret vasa  
minima lymphatica, corneam perreptan-  
tia,

tia, & a Nukio exposita, si discuti & resolvi non possit, tandem in suppurationem degenerat, & hypopyon format. Unde dein contingit, ut cornea a pure erodatur, sicque ulcus continuo materiam purulentam plorans producat. In quo casu fiet, ut erosa cornea, uvea, quæ illi subjacet, excidat, & staphyloma efficiat.

## CCXXVII.

Quare in primo proposito casu curare debemus, ut illud, quod in vasis secundi aut tertii generis hæret, & restagnat fluxile, & meabile reddatur, resolvatur, & in liberum circulum reducatur; quapropter cataplasmata ex floribus rosarum, sambuci, verbasci cum aqua cocta, conveniunt, quibus dein addi potest aliqua portio aceti de lithargyrio; aliqui etiam adjungere solent aliquid de spiritu vini rectificato, quæ tepide, & sæpe oculo affecto apponi pos-

sunt. Ad eundem usum inserviunt splenia simili decocto intincta, madentia, & tepida saepius apposita, quibus non tantum humor restagnans fluxilis redditur, sed vasa ipsa, quibus continetur, leniter constringuntur, ita ut humor facile ad ramos diametri majoris retrahatur, & retrocedat.

## CCXXVIII.

Si vero non obstante omni adhibita cura, & cautela humor restagnans non discutiatur, sed suppuretur, tunc materia purulenta intra corneam & uveam haerens, ut dixi, hypopium format. In tali ca-  
su duplex supereft medela. Prima con-  
fiftit in eo, si affectus sit recens, ut discut-  
ti, & resolvi, & per vasa absorbentia  
ad circulum reduci possit; tunc præter  
supradicta cataplasmata convenient specia-  
liter salvia, euphrasia, hysopus, & semen  
fœniculi in vino cocta, quibus splenia intin-  
gi, & tepida saepissime applicari debeni.

## CCXXIX.

## CCXXIX.

Quando vero ex his non efficitur, quod in votis est, supereft unica operatio chirurgica; qua fit phlebotomo ad id adaptato corneæ apertio, ut materia purulenta evacuari possit; sed magna adhibenda est cautela, ne sub ipsa apertione subitus delitescens uvea lædatur.

## CCXXX.

Item contingit, ut jam dixi, ut aper-  
ta aut erosa, a materia acri purulenta,  
cornea, uvea ex illa apertura promine-  
at, tumoremque acinum referentem ex-  
hibeat; hoc malum si necdum radices  
egit, potest dexteritate chirurgi ad sta-  
tum naturalem reduci, & vulnus debita  
methodo consolidari.

## CCXXXI.

Sicut oculi, ita etiam aures a va-  
riolis affici solent. Dolor, qui sæpe  
enormis adeft, mitigatur lenissimis oleis,  
ut chamam: verbasci, amygdalar: item

decoctis emollientibus in aures immissis, injectis, ibidem retentis. Sed omnium optime fomentis, cataplasmatis emollientibus cum vel sine lacte, tepide ad aures appositis, saepiusque renovatis.

## CCXXXII.

Si vero abscessus in auribus formeatur, debet materia purulenta prius ablui & abstergi; dein vero pars læsa consolidari. Primo scopo satisfaciunt omnia supradicta decocta emollientia cum melle rosarum saepè auribus immissa. Tandem pro consolidatione poterit prioribus addi aliquid de tinctura mirrhæ.

## CCXXXIII.

Superius jam aliquid insinuavi, quomodo in variolis forma, & nitor faciei conservari possit; hic reliqua adjungam, quæ opportuna hoc in casu observavi.

Præprimis enim ante variolarum eruptionem curare debemus, ut quam paucissime fieri possit, faciem occupent; hoc

hoc efficimus per illa, quæ a partibus superioribus ad inferiores derivant, talia sunt venæsectio in pede, clysmata emollientia, sæpius injecta pediluvia sæpius adhibita. Huc etiam spectat illud medicamentum mercuriale laxans, de quo §. CLXII. diximus.

### CCXXXIV.

Item huc referri debent illa remedia topica, quæ vasa cutis ita afficiunt, ut illud, quod hic efflorescere deberet, discutiatur, resolvatur, sicque ad alias partes, nimirum inferiores, dirigatur. Inter multa alia duo invenio, quæ sæpius captis experimentis respondent; primum est tinctura croci five cum aqua pura, five cum lacte facta, alterum vero est aqua cinamomi; horum remediorum uno, si ante variolarum eruptionem facies sæpius lavetur, fiet, ut paucissimæ faciem, eo plures vero alias corporis partes occupent.

N 4

Hoc

Hoc saepius & repetitis experimentis ad vota successisse affirmat Clariss. Diemerbroeck historia 12. & 13.

CCXXXV.

Ast facta jam variolarum eruptione nihil amplius agere possumus quam

Primo, ut suppuratio benigna reddatur, unde fiet, ut pus laudabile, & minus acre subiectas partes erodere non possit; quomodo vero suppuratio benignior reddatur, diximus superius.

CCXXXVI.

Secundo, ut pus jam factum, quam primum fieri possit, exitum adinveniat, quod sit pustulas maturas aperiendo, saepe abluendo, & abstergendo, ne pus diutius inhærens profundas efformet fo-yeas.

CCXXXVII.

Hoc ipsum dein eo facilius obtinebimus, si crustas aridas, cuti arcte adhærentes saepe illiniamus, oleis, blan-

dissi-

diffimis, ut oleo amygdalarum dulcium, ovorum, sed præcipue raparum; quod pro secreto habuit Harscampius, ut Diermerbroeck historia decima asserit; hoc modo fiet, ut illæ crustæ eo citius decidant, & materia illa acris, & rodens temperetur & detergatur.

### CCXXXVIII.

Postquam aridæ illæ crustæ jam dciderint, ego bono cum effectu uti soleo decocto hordei, aut orizæ, sed recens semper facto, quo tepide faciem curo sæpe de die ablui; qua ratione omne acre post deciduas crustas abluo, & detergo; quo facto, ne exinde aliqua rheumatica defluxio contrahatur, soleo & jubeo, faciem linteis siccis, calidis, & myrrhæ, aut thuris fumo imbutis detergi, leniter fricari, & tandem obvolvi.

### N 5 CCXXXIX.

## CCXXXIX.

Tandem variolis solent supervenire  
ulcera exedentia, & depascentia, furunculi,  
item phtisis, & febris lenta. Hæc  
vero metuenda sunt præcipue in variolis  
malignis, raro in benignis.

## CCXL.

Si materia purulenta variolosa nota-  
bili quantitate ad sanguinem reforbeatur,  
aut sub cute in membrana cellulosa jam  
lateat, fit per modum metafaseos ejus-  
dem ad diversas corporis partes internas,  
aut externas decubitus; in externis fiunt  
prædicta ulcera, aut furunculi; in inter-  
nis vero phtisis, aut febris lenta.

## CCXLI.

Si propter malignitatem variolarum  
aliquid ex prædictis metuendum sit; tunc  
debet æger statim post superatam suppura-  
tionem remedio purgante antiphlogistico,  
& mercuriali evacuari. Si vero ultra soli-  
tum maturationis tempus febris urgeat, de-  
bet

bet sanguis mitti, quem ego semper lardaceum observavi.

### CCXLII.

Præterea debet æger corticem peruvianum una cum copiosis diluentibus antiphlogisticis in usum vocare ; quibus prædicta laxantia cum mercurio dulci omni triduo aut quatriduo interponi debent. His enim efficiemus , ut prædicta mala impediamus , aut , si aliquod eorum jam adsit , eo citius , facilius , & securius tollatur. Quæ de purgantibus dixi , illa concernunt magis furunculos , & ulcera externa , quam illum statum , ubi æger ad tabem dispositus esse videtur.

### CCXLIII.

Ast , ne quis credat , hæc ad libitum dicta , & prolata esse , possem hæc ex probatissimis , si opus esset , autoribus corroborare.

Interim satis erit , si aliquorum tantummodo testimonia adduxero.

Sic

Sic celeberrimus Mortonius in suo tractatu de variolis repetitis experimentis comprobavit, tam in ulceribus variolarum malignis, quam in furunculis, scabie, phtisi, & febre lenta specificum esse corticem peruvianum, & ad evacuandam, & domandam talem acrimoniam verminosam, purgantia mercurialia, esse perquam necessaria. Quod præter alios, Celeberrimi Junkerus, & Nentenus propria edocti experientia in tractatu de variolis confirmarunt.

## CCXLIV.

Item Clarissimus Diemerbroeck histor. 28. habet casum, ubi tabes a furunculis post variolas inducta cortice peruviano curata fuit.

## CCXLV.

Quin imo ulcera maligna a materia variolosa inducta mercurialibus curata fuisse legimus apud Bonetum Polyalt. Tom. III. pag. 650. item apud Ettmuller:

col-

colleg. consult. casu 24. Plura de usu  
mercurii, & corticis peruviani in vario-  
lis legi possunt superius.

### CCXLVI.

Sed neque hic est finis malorum,  
quæ variolis præcipue malignis superven-  
ire solent; observationes enim docent,  
plures alios magni momenti affectus, va-  
riolis jam valedicentibus, & dum æger  
ferme jam in vado esse creditur, accedere,  
quia isti rariores sunt casus, illis expla-  
nandis non immorabor; breviter tantum  
quosdam attingam. Sic in Ephemerid.  
Nat. cur. Annor. 6. & 7. pag. 132.  
legitur mania variolas secuta fuisse. Item  
apud Carolum Drelinkurtium invenio  
post variolas surdos, elingues, & olfa-  
ctu carentes, factos fuisse; quæ omnia  
& similia dependent a reliquiis materiæ va-  
riolosæ in certis nervis sedem figentis,  
eosdem comprimentis, aut obstruentis.

Do-

Dolæus ipse meminit puellæ 7. annorum ex variolis mutæ factæ, quæ multis post annis ex improviso loqui cœperat.

Idem casus contigerat non pridem hic Vindobonæ. Illustrissima scilicet Dominicella Comes de Hohenzoller ex variolis pariter muta-facta, sicque diu perseverans, tandem ad naturalem loquendi facilitatem reducta est.

---

## C A P I T I S IV.

### SECTIO III. ET ULTIMA.

*Siftit particulares quasdam de variolis  
observationes, & annotationes.*

---

## C A S U S I.

### CCXLVII.

**P**erillustris adolescens de Hackin 15.  
circiter annos natus, cetera sanus,  
in-

inceperat conqueri de dolore capitis, & dorsi, de lassitudine totius corporis, de anxietatibus, nausea. Die sequente vomuit biliosa sæpius, fiebat soporosus, inquietus, anxious, insomnis, & per intervalla delirans.

Hæc erant signa, ut optimo jure variolas, quæ illo tempore epidemice graßabantur, futuras prædiceremus. Eventus ipse firmabat factam prognostim; nam die tertia in facie, cum quadam rubidine totam faciem occupante, sat frequentes in conspectum venerant papulæ, quæ quarta & quinta die per totum corpus numero auctæ, in facie partim confluentes fuere, partim cohaerentes.

### CCXLVIII.

Quare, cum jam sub morbi initium vehementia illa symptomata variolas mali moris futuras significarent; primis duabus morbi diebus curavimus, ut clysmata emollientia sæpius injicerentur, fanguis

guis repetitis vicibus mitteretur, diversa antiphlogistica, & diluentia in usum vocarentur, & ut plantis pedum epispasticum ex fermento panis cum aceto ruitaceo apponenteretur.

Circa finem diei quintæ, & sequente die sexta æger videbatur quietior; dormivit magnam noctis partem, & aliquot horas inter diu, febris remittebat, sed non penitus filebat.

Quarta circiter morbi die ptyalismus accessit, qui sequentibus diebus augebatur, ita ut nychthemeri spatio ad libram unam & ultra exspuerit; decima autem die spissiore facto sputo decrevit, & tandem duodecima die penitus cessavit salivatio. Tempore suppurationis tumor faciei in immensum augebatur, ex quo æger jam die septima ferme luce privabatur. Cum præterea ægrotus mente constaret, & utcunque tranquillas usque ad undecimam transigeret dies, omnia bona  
omi-

ominabamur. Ast die duodecima tumor faciei fere aliquot intra horas evanuit; neque tumor manuum, pedumque, ut fieri solet, exceperat eundem. Aeger erat inquietus, insomnis, delirans. His accessit continua miecturitio, ut plus urinæ limpidissimæ, quam liquidorum assumpserat, excreverit. Sitis & febris augebantur. Die 13. in pectore, collo, dorso, sed vel maxime circa lumbos, & hypochondria, aderant magno numero miliaria exanthemata, tam rubra quam alba.

## CCXLIX.

Quare, ut materia peccans, ad partes internas nobiles deposita, ad partes externas avocaretur; vesicantia apposita erant, interne autem, ut partim febris, miecturitio, & partim reliqua symptomata mitigarentur, propinabantur diversa antiphlogistica, diluentia, paregorica, emulsa. Item pro potu ordinario erat

decoctum album, & tinctura florum rhædos cum phlegmate vitrioli.

## CCL.

Verum omnia fine levamine præstituebantur etenim febris, delirium, micturitio augebantur, vires vero minuebantur, sicque convulsus die circiter 17. morbi obiit optimæ spei adolescens.

## CASUS II.

## CCLI.

Perillustris Dominus de Smerling 19. circiter annorum, laborabat eodem anno variolis confluentibus, eisdem fere, ut in primo casu, symptomatibus stipatis. Aderrat nimirum ptyalismus, qui undecima circiter die, evanuerat; eodem vero tempore facies detumuerat, sine subsequente manuum, pedumque debito tumore; micturitio diabetica pariter affligebat, & tandem exanthemata miliaria tam alba quam

quam rubra supervenere ; omnia quæ mortem, uti in primo casu, minabantur.

## CCLII.

Quod curam medicam concernit in secundo casu primis morbi diebus, & usque ad duodecimam fere eadem erat, quæ in præcedente casu. Illo vero tempore, quo micturitio & miliaria supervenerant, methodus quoad curam mutata erat ; sicque prius recensitis remediis cortex peruvianus adjungebatur, ex cuius usu secundos vidimus effectus ; nam non tantum illa molesta, & periculosa micturitio minuebatur; sed & febris, delirium, anxietates, & reliqua lethalia symptomata sedabantur, sicque æger vigesima prima morbi die judecabantur.

## ANNOTATIONES

Ad prædictos duos Casus.

## CCLIII.

Hosce duos data opera fisto casus, quoad morbi decursum quidem similes, sed quoad eventum toto cœlo differentes. Hæc differentia diversis, in his casibus adhibitis, remediis procul dubio adscribi debet.

Possem plures hujuscemodi adducere casus, quos, aut ego ipse tractavi, aut ab aliis medicis tractatos vidi; sed hi duo recensiti sufficient ad confirmandam anti-septicam, & alexipharmacam corticis virtutem, cui parem in materia medica vix invenire est. Selegi item tales casus, qui ante viginti & plures annos hic loci contigerant, ut constet, hujatibus medicis corticem in morbis malignis jam dudum in usu fuisse. Nam curam horum

ægro-

ægrorum tanquam medicus primarius dirigebat Magnificus, mihique æterna memoria colendus D. Weber de Fürnberg, cuius humanitate & benevolentia multis annis frui mihi concessum erat. Unde ego ut Medicus secundarius, & illo tempore adhuc novitus his, aliisve quam plurimis similibus ægris adstiti, invigilavique, ut omnia prout ordinata erant, executioni religiose darentur, quo tempore etiam copiam habui, ut non tantum exactum morbi decursum, sed & remediorum exhibitorum secundos aut sinistros effectus annotarem.

## CCLIV.

Experientia medicos Practicos edocuit, quod, si, dum ptyalismus cessat, & tumor faciei evanescit, extrema corporis, nimirum manus, pedesque valde tumeant, æger se exinde bene habeat; secus autem si hoc non eveniat. Signum enim est, illam materiam corruptam, quæ

O 3 fa-

faciem in tumorem attollere folet, ad circumulum humorum rapi, & deponi ad alias corporis partes, nimirum aut ad cerebrum, unde dein delirium & convulsiones, aut ad circumferentiam corporis, unde illa miliaria exanthemata, aut ad alia viscera, unde illa micturitio, & gangræna.

Si itaque materia variolosa ad massam humorum resorpta in nobiliore aliquo viscere sedem figat, subsequetur dein eo citius gangræna & mors; si vero fiat hujus congestio in aliquo minus nobili viscere, aut si diu cum massa humorum circulet, absque eo, quod in aliqua interna corporis parte sedem figat, fiet, ut, prout plus aut minus prædictæ materiæ corruptæ sanguini immixtum erit, etiam motus febrilis nunc major nunc minor observetur; sub quo motu febrili adaucto fiet iterum novus in peripheria corporis exanthematum proventus; quæ febrilis, & exanthematica exacerbatio sæpius repetere obser-

va-

vatur, ut jam §LII. annotavimus. In similibus autem circumstantiis morbus quam longissime nimirum ad 30. 40 & ultra dies protrahitur; unde æger semper magis & magis languescit, & tandem exhaustis viribus expirat.

## CCLVI.

Quare in similibus casibus convenient quidem omnia, quæ materiam peccantem a nobilibus visceribus avocant, ut vesicantia aliaque epispaistica, item quæ acrimoniam temperant, diluunt; ut omnia emulsa, paregorica, & antiphlogistica.

## CCLVII.

Sed experientia docuit, quod hæc acrimonia sit sœpe tam septica, & quod diuturnitate morbi, ex multis amissis humoribus roscidis, tenuissimis, fiat tam tenax, ut partibus, quibus infixa est, arctissime adhæreat, easque erodat, & gangræna afficiat.

Quapropter non neglectis supra dictis diluentibus & antiphlogisticis, opus erit specifico aliquo antisепticō, nimirum cortice peruviano, quo non tantum prædicta acrimonia temperatur, cicuratur; sed simul tonica ejus virtute genus nervosum & vasculosum diuturnitate morbi jam attritum, roboratur, ut par fiat materiae huic peccanti excutiendae, digerendae, & coquendae, & tandem per debitas vias e corpore eliminandae.

## CCLVIII.

Hunc ipsum corticis peruviani effectum expertus sum pariter in illis malignis variolis, quas epidemice grassantes §. XLVII. descripsi; neque enim opus esse credo, ut particulares de illa variolarum epidemia casus adducam. Sufficiat meminisse, variolas illius epidemiæ discretas quidem sed anomalas, & malignas ut plurimum fuisse. In hoc vero singulare qui d, quod in aliis epidemiis necdum ob-

observavi, præ se ferebant, quod jam quar-  
ta, aut quinta morbi die, & quidem tam  
infantes, quam adultos, micturitio, di-  
arrhæa colliquativa, atque exanthemata  
miliaria affligerent. Unde dein debitus,  
& necessarius tumor, rubor, & suppu-  
ratio, impediebantur.

## CCLIX.

Huc referri debet illa observatio,  
quam de hujate quodam cive quinquage-  
nario, mihi annotaveram, qui in eadem  
epidemia variolis sat discretis laborabat.  
In hoc exspectabam, aut nimios, & so-  
litos sudores, aut ptyalismum; sed neu-  
trum horum accessit; vices vero eorum  
suppleverant micturitio, & diarrhæa col-  
liquativa, quæ sub initium diei quintæ  
jam supervenerant; & ad decimam, aut  
undecimam morbi diem, nunc plus, nunc  
minus molestabant.

Videntur enim in hac epidemia prædi-  
cta variolis alias solita, & communia sym-

ptomata per micturitionem, & diarrhæam  
suppleta fuisse; in quantum nimirum illa  
materia peccans in renes, vesicam &  
intestina irrueret. Unde contigit, ut in  
similibus casibus multi hujates medici  
indicationes formarent, debere nimirum hanc  
materiam peccantem a centro ad periphe-  
riam corporis duci & pelli; quapropter  
diversa volatilia & sudorifera præstituebant,  
ægrosque tegumentis premebant; verum  
ex hac methodo, quamvis adstantibus,  
consanguineisque grata, omnia brevi in  
pejus ruebant; nam materia in cerebrum  
conversa mox phreneses & convulsiones  
causabatur; quæ ex usu corticis, ut su-  
perius dixi, metuenda non erant.

### C A S U S III.

CCLX.

Per illustris juvenis D. de Furnberg  
inceperat conqueri de certis rheumaticis  
doloribus utrumque pedem occupantibus,

qui

qui sequentibus diebus non augebantur, sed potius minuebantur; verum debilitas tanta hasce partes invasit, ut, quemadmodum in paralyfi contingere solet, has partes nec movere, neque illis infistere potuerit æger; pulsus tamen fere naturalis videbatur, appetitus, & somnus pariter aderant. Decem circiter dies obtinebat præsens status; quem primo dein exceperat febris, nausea, vomitus; & tandem variolarum sat benignarum eruptio; qua necdum exacta pristinam pedes mobilitatem, vigoremque recuperarunt, his successit suppuratio benigna, & placida, ac die decima quarta morbi judicatus est.

---

## ANNOTATIONES

### Ad Casum III.

#### CCLXI.

Miasma contagiosum diutissime, quinto a primordio vitæ iners in nostro cor-

corpore hærere posse, superius in tractatu de contagio ostendimus.

Item hoc ipsum, quod paulo ante dixi, observationes multorum autorum nos docent, quod nimirum, diversi rheumatici, aut pleuritici affectus quandoque variolarum eruptionem, aut cum, aut sine febre præcedere soleant. Vide Diemerbroek Histor. 16. Unde si nulla adsit febris, poterit in longius tempus variolarum eruptio protrahi; secus vero, si eisdem febris jungatur; quia sic a motu illo febrili miasma illud variolosum nervis impactum longe citius excutitur; & cum massa humorum miscetur, sicque evolvitur.

### CCLXII.

Vidi alium adolescentem ante variolarum eruptionem claudicantem, & quasi choræam Sancti Viti æmulantem, qui mihi, aliisque adstantibus imposuisset,

nisi

nisi ex superveniente die variolarum eruzione sapere didicissemus.

## C A S U S I V.

## CCLXIII.

Illusterrima Herula Comes de Schrottenbach annos circiter septem nata, prima die videbatur illis, qui ab illius servitiis erant, tristis & morosa, sed brevi post corripiebatur deliriis, & convulsionibus, quæ bidui integro diu, nocturne magnis cum clamoribus, & inquietudinibus perdurabant; febris, & calor erant ad sensum valde mites. Tandem sub initium quartæ diei eruperant universim, & in toto corpore viginti circiter variolæ optimæ notæ. Quo facto, uno quasi momento, omnia prædicta symptomata filebant, & ægra bene valebat. Variolæ tandem cum circulo rubro, sed sine sensibili incommodo suppurabantur,

sicca-

ficabantur , & decidebant ; sicque die  
jam nona formosissima hæc Domicella in  
vado constituta dici poterat.

## C A S U S V.

## CCLXIV.

Studiosus Viennensis , & hujatis ci-  
vis filius 13. circiter annos natus , cor-  
ripietur primo anorexia , nausea &  
tandem vomitu bilioso ; item inquietudi-  
ne , anxietate , siti , & febre sat forti ;  
cui dein deliria & convulsiones integro  
die naturali durantes acceſſerant . Die  
tertia supervenerant variolæ , quantum nu-  
merare potui , viginti & aliquot ; quæ  
mox ab initio erant fuscæ , tandem un-  
decim earum lividæ , & nigræ evaſerant .  
**H**as enim , quamvis paucissimas , tracta-  
vi debitis antiphlogisticis , diluentibus ,  
hydrogala ; febris suppuratoria erat sat  
mitis , neque aliquo periculoſo sympto-  
ma-

mate stipata. Exsiccatio vero hoc speciale præ se ferebat, quod, quamvis aridæ crustæ jam deciderent, mox aliæ quasi ex fundo renascerentur, quod cum aliquoties factum fuisset, sat profundæ variolarum foveæ remansere.

---

## ANNOTATIONES

### Ad Casum IV. & V.

#### CCLXV.

Istos duos Casus secundum quid similes, & secundum quid dissimiles, una eademque fidelia examinandos fisto. Ex quibus sequentia corollaria deduci posseunt.

Primo : quod parvitas miasmatis contagiosi, si certos occupat plexus nervosos, enormes excitare valeat motus convulsivos ; qui non sponuntur, nisi illa ipsa materia irritans e nervis excutiatur;

alio-

alioque rapiatur; quod fit, aut illis ipsissimis motibus a materia peccante, aut a natura, aut ab arte institutis, & excitatis per epispastica, clysmata, aliaque remedia superius jam dicta.

### CCLXVI.

Secundo, quod ex pulsu plus, aut minus febrili, aliisque signis prædicere possimus variolas benignas, aut malignas futuras. Nam in casu quarto, quamvis horribilis adfuerint convulsiones, quia tamen febris erat levis, benignissimæ supervenerant variolæ; contrarium vero observabatur in casu quinto; etenim febris erat vehemens, dirisque symptomatis stipata; unde quamvis paucæ eruperant papulæ, istæ tamen de maligna participabant indole.

### CCLXVII.

Prioris variolarum indolis multos causus vidi. Inter quos notabilis fuit ille, qui in Academia Sabaudica Illustrissimum

na-

natū minimum D. Comitem de Kauniz concernit. Hic enim per triduum integrum diu, noctuque tam ferocibus clamoribus, deliriis, & convulsionibus torquebatur, ut aliquot adstantium vix patres fuerint eidem in lecto continendo. Ast ecce huic turbulentissimo statui supervenerant variolæ, quidem copiosæ, sed discretæ & benignæ, quæ dein placidissime omnia decurrebant stadia.

### CCLXVIII.

Verum secundi generis variolarum casus rariores sunt. His similem invenio in Ephemerid. nat. cur. Anni tertii pag. 44. ubi variolas paucissimas, sed malignas, & nigras videre est.

Tandem tertium corollarium exinde deducitur, quod variolæ benignæ cito suppurentur, cito exsiccentur, & cito decidant; contrarium vero in malignis obveniat, ut ipse casus docet.

## CASUS VI.

## CCLXIX.

Illusterrimus D. Com. de Künburg,  
Salisburgensis, viginti circiter annos na-  
tus, tumore scrofuloso glandularum col-  
li ab incunabulis præditus, in Academia  
Sabaudica, corripiebatur summa totius  
corporis laffitudine, dolore capitis, nau-  
sea ad vomitum, & tandem vomitu  
biliose, febre inflammatoria cum pulsu ce-  
leri, duro, & magno, item intensa fiti,  
sopore, deliriis, subsultibus tendinum,  
summisque anxietatibus, & inquietudi-  
nibus.

Vix incipiente die tertia in conspe-  
ctum jam venerant confertissimæ papu-  
læ, quæ partim confluabant, partimque  
cohærebant.

## CCLXX.

Primis morbi atrocissimi diebus,  
applicabantur, sæpiusque repeteban-  
tur

tur clysmata emollientia cum dragma una nitri.

Item appropriata diluentia & antiphlogistica in usum vocabantur. Epispaistica ex fermento panis applicabantur plantis pedum, & sanguis ternis venæ sectionibus ad uncias fere quadraginta mittebatur.

### CCLXXI.

Die quarta supervenit ptyalismus (symptoma in hoc casu præ aliis notandum) nam materia nimium tenax & viscida difficulter, & in exigua quantitate screabatur; quin imo die intra octavam & nonam morbi penitus fistebatur; ex quo factum est, ut æger nec deglutire, nec libere respirare, nec loqui potuerit, hæc presso pede sequebantur sopor, delirium, & stertor, ut æger brevi suffocandus, & quasi in agone constitutus videretur.

## CCLXXII.

In hoc extremo casu instituta cum Magnifico & Expertissimo Viro D. de Zwenhoff consultatione conclusum fuit, ut confessim

Primo: quinque apponantur vesicantia, duo nimirum ad suras, duo ad brachia, & unum ad nucham.

## CCLXXIII.

Secundo: ut hirudines post aures applicentur, & exinde ad uncias octo, aut etiam plus detrahatur sanguinis.

## CCLXXIV.

Tertio, ut cataplasma emolliens & discutiens, parti anteriori colli, capiti vero raso columbae vivae in duas partes dissectae, saepiusque per alias novas renovandae apponantur.

## CCLXXV.

Quarto, ut clystina fortius cum maiore quantitate nitri injiciatur, & tandem injectiones in fauces sed lento impetu

petu instituantur, & quamprimum æger aliquid deglutire poterit, ut sulphur antimonii tartarisatum, aut loco hujus Ker-mes minerale ad unum, alterumve granum pro dosi, fæpius repetenda, præsti-tuatur.

Virtute quorum effectum fuit, ut ægrotus dein facilius deglutire, respirare, & loqui potuerit; sopor, delirium, stertor & reliqua atrocia symptomata evanuerint, & tandem, quamvis miliaria tam rubra, quam alba die decima accessissent, æger e mortis faucibus ereptus successive, & magno cum labore, pristinæ & integræ sanitati restitutus fuerit, qua etiamnum gaudet, & ut in æternum gaudeat, precor.

## ANNOTATIONES

## Ad Casum VI.

## CCLXXVI.

Tres aliæ hujus nobilissimæ familiæ proles, seu fratres nostri ægroti, ex eodem morbo, & ex eadem causa aliquot ante annis suffocabantur; nec mirum, nam videmus, quod etiam in statu naturali, & fano a scrofulosis tumoribus arteria aspera prematur, & angustetur, multaque incommoda tam in deglutitione, loquela, quam vel maxime in respiratione afferat.

## CCLXXVII.

Quid igitur fiet in statu morboſo ex variolis? ubi omnes faucibus adjacentes, & vicinæ partes tument, & turgent; in tali casu non tantum larynx, sed & glottis, epiglottis, & aspera arteria tument, premuntur, & angustantur, ut nec aëris libe-

libere ad pulmones intrare , nec exire possit , hæc incommoda ultronee augentur ab humoribus viscidis & tenacibus in prædictis partibus congestis & hærentibus.

### CCLXXVIII.

Ex his, quæ nunc dixi, fit, ut venæ jugulares tam internæ, quam externæ , item vertebrales pressæ se libere exonerare non possint in subclaviam, unde dein in cerebro, ejusque sinubus cum prædictis venis communicantibus necessario exurgit stagnatio, sopor, delirium; quæ si diutius in hoc statu perseverant, fiunt dein gangræna, convulsiones & mors.

### CCLXXIX.

Quapropter in simili extremo casu quantocius illis remediiis obviam eundum erat; quæ illam tenacitatem humorum solverent, & fluxilem redderent, quæ illum tumorem discuterent, derivando,

revellendo; qualia erant prædicta cly-  
sinata, vesicantia, cataplasmata, injec-  
tiones in os, & tandem Kermes mine-  
rale; virtute quorum dein magna excre-  
mentorum copia per alvum fecesserat.

## CCLXXX.

Hirudines vero exonerabant venas  
jugulares sanguine turgidas; ex quo dein  
liberior circulus humorum per cerebrum,  
ejusque sinus conciliabatur. Unde faci-  
le concipere possumus, quare exinde so-  
por, delirium, & reliqua symptomata  
evanuerint.

## CCLXXXI.

Sed dicet aliquis, quare non fuerit  
potius vena secta? ex qua præsentane-  
um levamen expectandum fuisset.

Ad hoc respondeo, quod venæ-  
sectio in illo casu hirudinibus sit ante-  
ponenda, quando pulsus est fortis, &  
vires constant; in simili vero casu, qua-  
lis noster erat, pulsus fuit debilis, vires

ian-

languebant; unde feligi debuit talis evacuatio, quæ sit lenta non violenta.

### CCLXXXII.

Ex his ultronee diversa & utilissima in praxi corollaria deducere possumus, ut primo, quod in omni variolarum stadio, si symptomata exigant, sanguis mitti possit.

Secundo, quod illi humores tenaces, qui cessante ptyalismo in faucibus hærent, & suffocationem minantur, optime per alvum deturbari & evacuari possint. In quo casu sulphur antimonii tartaratum, aut Kermes minerale optimo cum effectu sæpe adhibui; etenim non tantum tenacitas humorum solvit, sed per alcum, vel per screatum, expectorationem, aut etiam aliquando per vomitum evacuatur illud, quod officit.

## CASUS VII.

## CCLXXXIII.

Perillustris Domina Herula de Sut-  
ner 8. circiter annorum ex parente hæ-  
mophtisico nata, laborabat variolis quidem  
discretis, sed anomalis, malignis, &  
cum miliaribus intermixtis.

Die octava morbi, ubi febris sup-  
puratoria in summo erat constituta gradu  
afficiebatur tussi sicca molestissima, &  
quasi convulsiva; quam paulo post,  
quamvis ab initio morbi sanguis missus  
fuerit, sequebatur screatus, & sputum  
sanguinis floridissimi, quotiescunque tu-  
sifiret, sat copiosus.

## CCLXXXIV.

Anxietatem meam, & adstantium au-  
gebat recordatio funestissimi casus, qui  
anno præcedente, unicum hujus celebris  
familiæ filium, sub directione alterius Me-  
dici variolis laborantem, concernebat;  
huic

huic enim pariter die octava supervenierat sanguinis secessus per alvum cum dispendio vitae.

## CCLXXXV.

Quapropter in simili urgentissimo casu, qui statim post medium noctem acciderat, adivi Magnificum D. Weber de Fürnberg, tunc pariter ex febre catarhalis ægre decubentem, ut ille, qui ab initio morbi suo consilio ægræ adstiterat, in hoc periculo, & urgente casu, quæ agenda essent, sua, qua apud omnes valebat autoritate, firmaret. Unde conclusum fuit.

Primo, ut quamprimum fieri possit, sanguis ex pede, revulsionis causa, mittatur.

Secundo, ut tussis illa molesta, cuius violento motu vasorum rixis, & sanguinis sputum succedebat, sedaretur, & tandem motus febrilis mitigaretur. Unde ordinabatur mixtura ex aquæ florum rhæa-

rhæados unciis quatuor; opii puri grano uno, & syrupi papaveris albi uncia una. Tinctura vero florum rhæados cum phlegmate vitrioli erat pro potu ordinario.

Ex his effectum est, quod in votis erat, & ægra brevi pristinæ restituebatur sanitati.

Ast parentes consanguinei, aliique præjudiciis capti, & metuentes variolarum retrocessionem, nos valde nigro ubique notabant carbone; donec secundus curæ eventus convelleret de trivio. Sunt enim quamplurimi etiam artis Apollineæ cultores, qui malunt, ægros in extremis casibus ordinaria medendi methodo interire, quam singulare & anceps moliri, & experiri remedium.

## ANNOTATIONES

### Ad Casum VII.

#### CCLXXXVI.

In variolantibus hoc quisque medicus sedulo observare debet: an non quædam viscera, sive titulo a parentibus hæreditario, sive adscititio, speciali atonia affecta sint? nam dum motus febriles adaugentur, uti hoc præcipue in febre suppuratoria, videre est, facile evenire solet, ut tale viscus afficiatur; cum enim illud sit præ aliis debile, & minus resistens; sic fit, ut totus, aut saltem major pars febrilis impetus dirigatur ad tale viscus; ex quo dein evenit, vel ut aliqua humorum congestio in ea succedat parte, vel ut vañorum dilaceratio, & ruptura sequatur. Quod in nostro casu factum esse diximus.

Tan-

Tandem, quod jam superius de sanguinis missione in variolis instituenda dixi, hic ultronee firmatur, & corroboratur.

## C A S U S V I I I .

### CCLXXXVII.

Illusterrimus Comes de Aspremont-linden ætatis suæ viginti duorum circiter annorum, temperamenti sat robusti, & vegeti, dum in Academia Sabaudica studiorum causa commoraretur, corripiebatur variolis magnam partem in facie confluentibus. Salivatio cum screatu sat copiosæ materiæ plus minus viscidæ die quinta inceperat ; die vero ineunte jam decima minuebatur ; unde multi humores viscosi occupabant laryngem, pharyngem, aliasque adjacentes partes, ex quibus deglutitio, & respiratio difficiles fiebant. Præterea eodem tempore, quamvis ab initio morbi quatuor enematibus  
bene

bene evacuatus fuerit, conquerebatur de certo tenesmo valde molesto, quin imo de quibusdam etiam doloribus colicis, ex quibus anxietates, & inquietudines adhuc magis augebantur, & quolibet fere momento metuendum erat, ne convulsiones universales accederent.

### CCLXXXVIII.

In hoc tam ambiguo, & urgente casu, capto cum Magnifico Domino de Zwenhoff consilio, statutum fuit, ut ad evacuandam, & abluendam illam acrimoniam in intestinis harentem, & irritantem quamprimum clysma ex decocto hordei, & oleo lini, cum vitello ovorum mixtis, & unitis, injiceretur, & si opus esset, repeteretur; & ut evacuans mannatum propinaretur.

Quæ omnia & singula, ut statuta erant quantocius executioni dabantur; e quibus dein etiam effectum erat, ut ingens copia excrementorum una cum pittuita

tuita quadam viscosa evacuaretur. Primo enim secedebant scybala dura, compacta, & figurata in magna quantitate, dein sequebantur liquidiora foetidissima, quibus multa mucosa mixta erant.

Hæc omnia fiebant summo cum levamine; nam æger exinde facilis de-glutiebat, facilis respirabat, tenesmus, aliique dolores ventris cum omnibus aliis symptomatibus abigebantur, sicque æger vigesima prima die perfecte judicabatur.

---

## ANNOTATIONES

### Ad Casum VIII.

#### CCLXXXIX.

Sane mirabamur omnes adstantes, quod quamvis primis morbi diebus ex aliquot clysmatibus injectis magna excrementorum copia evacuata fuerit; nihilominus tamen dein tam notabilis eorum

rum copia superfuerit, & ex superius recensitis remediis per alvum secesserit; nam toto morbi decursu non nisi panatella, aut cremore hordei nutriebatur, ex quibus urinarum potius, quam excremen- torum moles augebatur.

Quapropter supponere debemus, ta- lia intra rugas, cellulasque ventriculi, & intestinorum hærere, quæ dein ab hu- more gastrico, aliisque ad ventricu- lum, & intestina plorantibus liquoribus, & cum eisdem mixtis quantitate au- gentur.

## CCXC.

Unde isti humores plus minus pro diversitate temperamenti, spissi, & cum aliis excrementis commixti, constituunt illam colluviem putridam, quæ si diu- tius in intestinis hæret, semper magis corrumpitur, & partim per vasa lactea, partim per alia vasa absorbentia ad cir- culum humorum defertur; ibidem debet

necessario febrem augere; quin imo, dum hæc materia putrida ad circumferentiam corporis propellitur, debet etiam nova exanthemata exhibere.

## CCXCI.

Ex quibus patet, uti jam superius ostendi, quam necessarium sit, statim ab initio morbi faburram in primis viis hærentem tam per levia purgantia, quam per clysmata appropriata evacuare; quin imo, si hoc ab initio morbi factum non fuerit, aut si talis colluvies putrida in primis viis hospitari videatur, quolibet variolarum tempore absque omni periculo, id ipsum fieri posse, & debere.

## CASUS IX.

## CCXCII.

Infans bimulus, hujatis mercatoris filius, quatuor dentibus incisoribus, & duobus molaribus jam prædictus; incep-

rat

rat fieri morosus, languidus, inquietus; lectum semper petebat; si vero in situm rectum elevabatur, caput quasi nimis ponderosum inclinabat; cibos sibi oblatos respuebat, sitiebat solito plus, fletbat, clamitabat, saepiusque expavescebat; & tandem secunda morbi die convellebatur; quo tempore tota facies rubore quasi erysipelaceo perfusa videbatur, maxilla inferior spasmo ita strin-gebatur, ut non nisi magno labore a superiore dimoveri potuerit; gingivæ hinc inde præcipue vero in illa parte, ubi dentes camini erumpere solent, tumebant, rubebant, & dolebant.

Convulsiones, aliaque superius recessita symptomata nunc magis, nunc minus urgebant. Tandem die tertia minimas papulas hinc inde in facie observabam, quas tamen ita mobiles & vagas vidi, ut mox visibles, mox vero invisi- biles, apparerent, ex quibus luce cla-

Q 2 rius

clarior cognovi, has esse variolosas, unde speravi, si copiosiores erumpant, fore, ut prædicti motus convulsivi mitigentur, & tandem plenaria facta eruptione, cessent.

Verum quamvis clysmata emollientia, pediluvia ex lacte, aliaque diluentia, & antiphlogistica remedia a me ordinata, sedulo in usum vocarentur, persistebat tamen idem superius descriptus calamitosus status. Ex quo statim cognovi, illum inflammatorium statum, non tam a miasmate varioloso, quam ab ipsa dentitione dependere, & ab illis spasmodis ita stringi peripheriam corporis, ut variolæ erumpere non possint.

### CCXCIII.

Quapropter parentibus proposui, aut gingivarum incisionem, ut dentes canini eo facilius erumpere possint; aut' sanguinis missonem, sive per venæ sectionem, sive per sanguifugas instituendam, ast inania erant mea

con-

consilia & vota; nam utrumque hoc remedii genus vulgus, præjudiciis certis captum, in infantibus abhorret. Interea convulsiones, aliaque symptomata semper magis, & magis augebantur; & die quinta infans aliquot tantum papulis præditus variolosis, ad plures migravit.

## C A S U S X.

## CCXCIV.

Alter infans pariter bimus, eisdem in casu IX. recensitis affligebatur symptomatibus; unde judico superfluum fore, si eadem recenserem; sufficiat dicere, quod quoad omnes, tam ætatis, quam morbi circumstantias casus fuerit priori similis.

Cura fuit pariter eadem, excepta sanguinis missione; nam die tertia morbi curavi, & jussi applicari hirudines post aures, & quidem in quolibet latere tres; quarum ope intra sesquihoram quin-

---

que circiter unciæ sanguinis extractæ fuere.

Sub ipsa hac operatione infans, qui bidui integro insomnis erat, fiebat pacator, & tribus, quatuorve horis, quamvis aliquoties artubus contremisceret, obdormiverat. Tandem sequebatur facilis, & pacata variolarum discretarum eruptio; suppuratio & exsiccatio; sicque infans, qui periturus erat, in vita servabatur.

---

## ANNOTATIONES

Ad Casum IX. & X.

CCXCV.

Hujuscemodi casus ipse multos habui, sed longe plures ab aliis tractatos vidi; observavi tamen constanter, quod infantes, qui variolis, & dentitione simul afficiuntur medentibus multum negotii fac-

cessere soleant, & quod in simili casu plus ex dentitione, quam ex variolis, metendum sit; nam dum omnia ad vota cedere videntur ex variolis, superveniunt quandoque inquietudines, calores, pavores, aliquando etiam convulsiones; quæ si magna adsit febris inflammatoria, non nisi gangræna & morte terminantur.

## CCXCVI.

Si hæc in primo variolarum stadio eveniant, tunc propter consensum generis nervosi, non tantum illa tunica gingivarum a dentibus tenditur & irritatur, sed simul omne genus nervosum, & membranosum in consensum trahitur, ex quo cutis, ejusque vasæ ita stringuntur, ut miasma illud variolosum ad circumferentiam corporis propelli non possit.

## CCXCVII.

In simili casu debent talia præstutui, quæ illam irritationem, tensionem, & pressionem tollunt. Item quæ inflam-

matoriam stasim in minimis vafis, præfertim cerebri dissipant; & tandem, quæ placidæ variolarum eruptioni famulantur.

## CCXCVIII.

Irritatio & tensio membranæ gingivas ambientis debet leniri, emolliri, cremore lactis, butyro dulci, aliisque pinguedinibus recentibus, sed non rancidis.

## CCXCIX.

Aliqui fricant gingivas corporibus duris; aut foliis nicotianæ, quod melius, quia exinde salivatio excitatur.

Hoc ipsum efficimus interne per diversa diluentia, emollientia antiphlogistica.

## CCC.

Si vero his non obstantibus, dentes necdum prodeant, tunc debet membrana, ubi dentes canini protuberant, scalpello discindi, quo facto membranæ tensio, & irritatio una cum omnibus aliis funestis symptomatis cessabit.

## CCCI.

## CCCI.

Aliqui vero ex consilio Sydenhamii in simili casu, ubi convulsiones ex dentitione urgent, propinant unam, alteramve guttam spiritus cornu cervi.

Ast hoc experientia edocitus judico, caute agendum esse; si enim adsit magna febris inflammatoria tunc semper convulsiones exinde augentur, gangræna, & mors acceleratur.

## CCCII.

Præterea alii in similibus casibus vescatoria applicare solent, sperantes fore, ut per hanc revulsionem, aut derivationem convulsiones sopiantur, & miasmata variolosa a centro ad peripheriam pellantur.

Verum candide, & ingenue fateor, quod in illo casu, ubi urget febris inflammatoria, semper magis exinde augentur febris, delirium, convulsiones; & talis funestus status diutius perduret,

tandem miliaria alba , gangrænæ , & mortis prænuncia , accedant.

Quapropter similia non nisi , ubi pulsus est debilis ; aut si præmissa sufficiente sanguinis detractione , convulsiones nihilominus ( quod oppido rarum ) adhuc perseverent ; in usum vocari debent .

## C A S U S XI.

## CCCIII.

Illustrissima Domicella Comes de Harrach 17. circiter annos nata 1745. in autumno præcipitanter corripiebatur variolis malignis , ut fere eadem die , qua infirmabatur , etiam variols confluentibus obsideretur . Unde nec venæficio , nec quidquam aliud communium remediorum administrabatur ; quin imo secunda post variolarum eruptionem die , propter metum contagii in aliam domum transferebatur ; ibique de die in diem pejus

pejus habebat, atque sexta jam morbi  
die convulsa mortua est.

---

## ANNOTATIONES

### Ad Casum XI.

#### CCCIV.

Hic multæ quæstiones problematicæ institui possent, & quidem primo. An tempore, quo variolæ erumpunt, præcipuæ vero tempore frigido, ut autunuali ægri e domo in aliam domum sine periculo transferri possint. Etenim facile fieri potest, ut variolæ, quæ recen-tissime eruperant, retrocedant; & aliæ, quæ mox erupturæ essent intra corpus detineantur, & ad nobiliora viscera, ut cere-brum rapiantur.

#### CCCV.

Altera quæstio est; an stante vario-larum eruptione venæfæctio celebrari pos-fit

fit cum ægri levamine ? Ego interim multos caſus novi , ubi completa fere jam variolarum eruptione venæſectio celebrata ægros e mortis faucibus liberavit; ut superius jam dixi.

## CCCVI.

Sed dices: ſicut ex frigore extero timendum eſt, ne variolæ retrocedant, aut erupturæ ne impediāntur ; ita idem metuendum eſt ex venæſectione, præſer- tū si facta jam eruptione instituatur.

Respondeo diverſos, & quidem con- trarios eſſe effectus, qui a frigore, & a ſanguinis miſſione dependent, nam a fri- gore extero stringitur peripheria corpo- ris; ex quo fit, ut illud, quod in ea- dem necdum firmam habet ſedem, facile retropellatur, & reliquum quod ultro ad circumferentiam corporis pelli deberet, intra vafa retineatur, tandem alio, ni- mirum ad notabiliora viſcera, ut v. g. ad cerebrum deponatur; ex quo, ut ob- fer-

servationes docent, fiunt deliria, phrenes, & convulsiones; aliquando etiam apoplexia.

Contrarium vero obtinet ex venæctione, nam si hæc instituatur, dum vasa partim ab orgasmo, partim ab exuberantia sanguinis distenduntur & turgent, tunc laxantur & collabuntur præcipue illa, quæ cutem perreptant; adeoque exinde non tantum liberior fit humorum circulus, sed & heterogenea, quæcunque in vasis contenta, facilius ad peripheriam propelluntur.

## C A S U S X I I .

### CCCVII.

Liber Baro de Saiter 15. circiter annos natus 1746. primis Januarii diebus corripiebatur morbillis eo tempore Vindobonæ grassantibus.

Morbilli decurrebant, & terminabantur sine notibili, & urgente aliquo sym-

symptomate; etenim octava jam morbi die bene & placide dormiebat æger; bene appetebat; neque tussi amplius vexabatur.

Die circiter ab insultu morbi decima quarta, post prægressam noctem inquietam conspiciebantur hinc inde in corpore, præcipue vero in facie variolæ spuriæ crystallinæ, aut lymphaticæ dicendæ; nam statim sub eruptionis initium vesiculas lympidas, in medio tamen foveas habentes formabant; quæ sive ipsæ rumperentur, sive aperirentur, humorem aqueum fundebant.

Hoc tamen notabile erat, quod sub initium secundæ diei circulum rubrum cum sensu alicujus doloris, ardoris & tensionis formarent.

His tamen non obstantibus die quarta circiter & quinta, sine aliqua suppuratione siccabantur, & tandem evanescebant; pulsus erat naturalis, appetitus,

somnus, & reliqua in bono statu. Verum tamen decima circiter post has noctis variolas die æger inceperat vomere biliosa, aderant inappetentia, sitis, dolores capitis, & ingens prostratio virium, quæ symptomata alicui in sex rebus non naturalibus commisso errori tunc adscribabantur.

Ast die sequente patebat, quæ effet horum symptomatum causa; nam tota facies, quin imo & reliquum jam corpus (quod oppido rarum) scatebat stigmatibus variolosis, quæ cum successive non tantum numero, sed etiam volume augerentur, pro variolis veris, confluentibus, & malignis declarabantur.

Facta hac eruptione, febris non minuebatur, quin imo febris, anxietates augebantur; hisque accedebant insomnia, suspiria, subsultus tendinum, & frequens urinæ aquosæ secessus.

Unde factum , ut quartajam a variolarum eruptione miliaria supervenerint.

Dum purpuræ tam albæ , quam rubræ copiosa facta fuisset eruptio , æger videbatur melius habere , liberius enim respirabat ; sat bene , & , ut relatum fuit , sequente nocte placide dormiebat , febris pariter minui videbatur ; ita , ut præfens morbi , & ægroti status omnia fausta promitteret.

Verum , quia sequentibus diebus neque in facie , neque in interstitiis aliarum variolarum aderant debitus , & necessarius tumor , & rubor ; prædictis præmaturis , & fallacibus signis fidendum non erat.

Quemadmodum etiam die morbi citer undecima evenit , ut a meridie post assumptam panatellam inexpectate horripilatione , totiusque corporis tremore , anxietatibus , suspiriis , ac tandem convul-

vulSIONIBUS prehenderetur , quibus intra  
horæ spatium jugulabatur.

---

## ANNOTATIONES

### Ad Casum XII.

#### CCCVIII.

Iste est singularis , qui mihi toto  
meæ praxeos tempore obvenit casus.  
Plures autores observarunt , & ego ipse  
vidi , quod morbillis variolæ supervene-  
rint , quod variolas spurias veræ exce-  
perint , quod scarlatinæ supervenerint  
morbilli , aut variolæ; Item pueroram ,  
cui lochia fistebantur , primo purpura &  
octiduo tardius variolis correptam vidi .  
Sed quatuor exanthemata sibi breve in-  
tra tempus succendentia nonnisi in hoc  
unico allato casu observavi. Quamvis ,  
ut in casu dixi , aliqua symptomata mul-  
tum spei promitterent , factum est tamen ,

ut brevi & fere inopinato convulsus ad plures migraret.

Sane admirabar saepe repentinae illae mutationes, quae in variolis contingere solent. Quoties enim obstupescens vidi variolarum die nona, 14. 17. aut 21. quin imo etiam tardius, ubi æger jam in vado constitutus ab omnibus medicis declaratus & judicatus fuit, drepente convulsiones, & mortem supervenisse.

Similes finistri eventus certe aliunde derivari non possunt, quam quod per decursum morbi in nobili aliquo viscere materia morbifica, eodem fere modo uti furunculi in partibus externis, congeratur, suppuretur, ac tandem rupta aut exesa apostematis tunica effundatur, sive que prædictas tragœdias ludat.

In nostro vero casu videtur illa ipsa materia, quae faciem reliquumque corpus in tumorem elevare debuisse, alio nimirum

rum ad cerebrum raptā fuisse, quod plerumque in similibus casibus evenire solet.

Ex hoc pariter casu constat, quod quamvis post eruptionem miliarium æger aliquando alleviatus videatur, hæc tamen non statim pro criticis habenda & declaranda sint.

## C A S U S X I I I .

### CCCIX.

Hujatis civis filius 14. annos natus corripiebatur anno 1756. in Martio variolis discretis, sed anomalis & malignis; nam secunda jam ab exacerbatione die in conspectum venerant, quarum plures ad livorem & nigrorem accedebant. Præterea fere omnes depresso, & in medio foveam habentes usque ad finem persistebant.

Quamvis æger non aliis remediis, quam superius §. CXXVI. descriptis antiphlogisticis uteretur; & in regime-

R 2 tem-

temperatissimo conservaretur, nihilominus tamen die circiter ab eruptione nona miliaria supervenerant.

His funestis symptomatibus tamen non obstantibus, tandem die decima septima, cum quoad omnes functiones, & actiones bene se habere videretur, judicatus fuit. Verum tamen die circiter vigesima de languore & totius corporis lassitudine incepérat conqueri æger; aderat febris, fitis, dolor capitis, & anxietates; his tandem supervenerant quædam tuberculæ in dorso, clunibus, & hinc inde in reliquo corpore. Hæc dolebant, ardebant, & nychthemeri sere spatio suppurabantur, aliqua eorum erant mole exigua, alia nucem avellanam æquabant, alia vero superabant; quæ, debito tempore a Chirurgo aperta, plus aut minus materiæ purulentæ fundebant. Vix autem consolidatis his alia superveniebant, quæ magis dolebant, magis ardebant, & ma-

jorem febrem conjunctam habebant, & tandem difficilius ad consolidationem perducebantur; quin imo multa eorum in foedissima, & maligna ulceræ, ad ossa usque substantiam carneam exedentia degenerabant. Hoc modo alia semper & alia prædictorum tuberculorum eruptio succedebat, & ad hebdomadas fere sex protrahebatur; cuius posterior semper pejor erat priore, ut prius jam dixi. Interea æger partim febre lenta, doloribus, inquietudinibus confessus, & ad incitas redactus videbatur.

Quamvis enim toto hujus morbi tempore copiosa diluentia, emollientia, laetificinia, hydrogalam, serum lactis, herbis antiscorbuticis imprægnatum, emulsa, & similia, quæ tam febri, quam acrimoniæ temperandæ dicata essent, asumpsisset; nihil tamen proficiebat, sed in pejus ruebat æger.

Quapropter in simili extremo casu ad corticem peruvianum ex consilio Magnifici pie defuncti Weber de Fürnberg confugi, cuius dragmas sex aut saltem unciam dimidiam quotidie assumebat, & debitam quantitatem prædictorum diluentium superbibat. Ex cuius usu non tantum recentium furunculorum propululatio, sed & ulcerum malignorum ulterior progressus, impediebatur; hæc facilis ad consolidationem, & æger tandem, quamvis sat lente, ad pristinam sanitatem perducebatur.

---

## ANNOTATIONES

### Ad Casum XIII.

CCCX.

Practici norunt variolis non tantum malignis, sed aliquando etiam benignis  
fu-

supervenire furunculos, qui ægrotantibus non tantum molesti, & dolorifici, sed sæpe etiam periculosi esse solent: etenim in variolis, præsertim malignis, difficulter ad consolidationem perduci possunt, & plerumque cum ulceribus malignis conjunguntur.

In similibus casibus non tantum propria sed aliorum quoque experientia edoctus candide edicere possum, & teneor, quod ex superius nominatis diluentibus, temperantibus, aliisque antiphlogisticis difficulter aliquid sperandum sit; nisi illis prædictum antisepticum jungatur.

Tales observationes tam proprias quam aliorum practicorum, data opera mihi annotavi; semperque vidi, quod prædicta remedia sine aliquo specifico antiseptico imparia sint tanto tollendo malo.

Ut alias observationes taceam, meminerim solummodo Nobilissimæ herulæ Comitis de Rothal; quæ 1746. vario-

lis discretis, sed malignis laboraverat, & omnes solitos malignitatis insultus usque ad diem morbi circiter decimam octavam feliciter superaverat: quo tempore ulcuscula quædam quasi aphthosa gingivas, linguam, laryngem, pharyngemque occupabant; quæ non tantum deglutitionem, sed & masticationem difficilem reddabant. Hæc intra aliquot dies & numero & volumine augebantur, & non tantum partes oris internas, sed & externas occupabant; atque in ulceræ maligna, substantiam cellulosam, musculosam, & glandulosam ad ossa usque exedentia degenerabant.

In hoc tristi rerum statu in usum vocabantur omnia prædicta diluentia, dulcificantia, lactis serum, succi antiscorbutici, & lenia per epicrasim evacuantia, non neglectis appropriatis, &, ab expertissimis chirurgis præstitutis remediis externis.

Ve-

Verum tamen his non obstantibus malum de die in diem augebatur, prædicta ulcera non tantum in facie horrendum præbebant spectaculum; verum etiam in aliis corporis partibus eadem ratione, suique multiplicatione fæviebant.

Quibus tandem accessit marasmus, & mors.

Si in hoc casu debito tempore & quantitate cortex in usum vocatus fuisset, forsitan felicior eventus exinde sperari potuisset. Plura superius §. CCXLIV. & CCXLV. de usu corticis peruviani, & mercurii in furunculis & ulceribus malignis legi possunt. Item apud Bonet. Polyalt. Tom. III. pag. 650. & apud Ettmüller. Col. consultat. casu 24.

### CCCXI.

Sane hic apposite quæstio institui potest, an nimirum in similibus exulcerationibus cicuta tam interne quam externe conveniat?

Ad quod respondeo, quod si experimenta novissime, tum a Magnifico Archiatro, & autore de Störk, cum ab aliis cicutæ fautoribus instituta, nobisque communicata subsistunt; nullus dubitem, quin usus cicutæ in nostro pariter casu locum habeat.

Verum dices, hæc responsio nec satisfacit, nec exhaustit factam de cicuta quæstionem; quisque enim a me petere poterit, quid ego observaverim, quid ve sentiam de usu cicutæ in tumoribus scirrhofis, & ulceribus cancrofis; an horum, similiusque malorum ab usu cicutæ radicalis cura expectari possit, nec ne? Judico quidem non esse hujus loci, ut, quemadmodum gravitas materiæ & quæstionis exigit, satisfaciam; brevissime tamen, ut, & candide efferam, veritati famulaturus, quæ observando didi; reliqua aliis, qui majore judicio,

ma-

majore autoritate pollent, discutienda,  
& determinanda relicturus.

Antequam vero hanc materiam attingam, edicere debeo, ut fas est, quod Clarissimus & Magnificus Autor in perquisitione, & promulgatione hujus remedii se æterna memoria dignum reddiderit; eo quod nos edocuerit remedium, quod ferme ab omnibus tot, & tot seculis pro perniciossimo veneno venditabatur, in diversis contumacissimis morbis ad sexaginta, & ultra grana nychthemeris spatio, non tantum sine noxa, sed saepe secundo cum effectu exhiberi posse.

Quamobrem satis mirari non valeo, quod cicutam qualitate venenosa præditam esse, tum veteres cum recentiores plerique autumarint. Quin imo apud plures fide dignos Autores legimus Socratem; Demosthenem, aliosque cicta enectos fuisse. Unde concludere debemus, vel, quod debeant dari diversæ

ci-

cicutæ species, quarum aliquæ venenoſæ, aliæ vero minus dici debeant; vel quod cicutæ aliud venenum, ut multi judicant, mixtum fuerit. Habebat tamen omni tempore cictuta ſuos fautores, ſuofque affeclas; ſic AEgyptii, multique Athenienſium ea ad extinguedam libidinem uſi fuiffe dicuntur, ut in Ephemerid. nat. cur. Anno 4. & 7. obſerv. 106. habetur.

Rajus refert, a quodam nomine Bowle ad ſcrupulum unum pro doſi ad profligandas febres exhibitam fuiffe.

Quin imo Ronealmus obſerv. 3. & in ſuis operibus 1606. Parifiis editis illam in iuſtione ad dragmas duas, in ſubſtantia vero ad dragmam dimidiā, & ultro exhibuit.

Friccius pariter in ſuo tractatu de virtute venenorū medica ait: *Cicutam mōlerate & methodice exhibitam tutiſſimum & utiliſſimum eſſe remedium.*

Item

Item in eodem tractatu ostendit, cicutam non tantum quibusdam veteribus, ut Hippocrati, & Galeno, sed & recentioribus familiarem fuisse.

Ne vero præcoces in definiendis cicutæ viribus & effectibus, quos præser-tim in tumoribus, & ulceribus observa-mus, esse videamus, judico sequentes ob-servationes, omnibus practicis alias no-tas, præ oculis habendas esse; & quidem

Primo, quod tumores scirrhosi cum tumoribus duris œdematosis confunden-di, aut promiscue accipiendi non sint.

Secundo, quod ulcera cancrosa be-ne distinguenda sint ab ulceribus mali-gnis phagedenicis.

Ratio asserti est, quia sæpe vide-mus tumores duros, indolentes, & non-nisi tensione partium adjacentium mole-stos, valde diu tales perfistere, & tan-dem aliis remediis aperitivis, discutien-tibus; aut etiam sine omnibus remediis, solum-

solummodo ipfis naturæ viribus, dissipari, & evanescere. Hoc malum præ aliis commune est juventuti, in hac enim ætate videmus, glandulas colli mirum in modum tumere, multis mensibus, quin imo annis tales persistere, & aliquando sine omni artificio dissipari.

Si itaque in simili statu aliquis cicutam adhiberet, tumoris hujus dissipationem procul dubio cicutæ attribueret, qui sine tali remedio dissipari, aut evanescere potuisset.

Idem in ulceribus sæpe obtinet; et enim experti Medici, & Chirurgi optime norunt, ulcera maligna, phagedænica, sed non cancrosa, debita methodo tam interne quam externe tractata fine cicuta curata fuisse, & etiamnum curari.

Quapropter bene examinanda sunt prius ulcera, quibus medemur, ne præcipitanter nimis talia pro cancrofis decla-

re.

remus. Ut vero tumoribus scirrhosis, & ulceribus cancrofis secundo cum effectu medeamur, duo requiruntur principia in remedio, quod ad hunc finem in usum vocamus. Primum principium debet esse solvens, & resolvens illius, quod tenax, & impactum in aliqua parte hæret.

Secundum debet illud miasma acre, cancrosum specifica quadam virtute corrigere aut destruere.

Virtutem solventem in cicuta non tam facile quisquam in dubium vocabit. Ast metuendum est, quemadmodum ego sæpe observavi, ne hac ratione scirrhini mis cito exulcerentur; qui diutius integri, & indolentes perstiterent, si remediis lacefisti non fuissent.

Quod vero aliam virtutem illud miasma cancrosum corrigendi concernit, est illa ita necessaria, ut sine illa frustra cancro cuicunque medeamur; experientia enim omnibus practicis constat, miasma illud

illud cancrosum esse revera, contagiosum & multiplicabile.

Item notum est, quod quamvis pars cancro affecta v. g. amputetur, nihilo minus tamen miasma cancrosum humoribus inhærens, in alia parte corporis propululet, ibidem eandem, quam in mamma tragœdiam ludat, sicque non tantum inutilem, sed sæpe noxiā operationem reddat.

An vero hæc virtus specifica miasma cancrosum corrigendi, aut destruendi ipsi cicutæ insit, metuo, ne mihi, ne cuique alteri injurius videar, si hucusque dubius hæream, quin imo potius contrarium sentiam.

Quamobrem doleo, quod, mea cum cicuta in prædictis affectibus capta experimenta me aliter edocuerint.

Vidi enim, si notabilis quantitas cicutæ in scyrrho aut cancro exhibeatur,  
acri-

acrimoniam peccantem una cum febre de-  
pascente augeri.

Quin imo s̄epissime vidi ab acrimo-  
nia cancerosa humoribus nostris mixta  
quasdam febres, ut plurimum irregulares,  
aliquando vero regulares, & typum quo-  
tidianæ, aut tertianæ servantes oriri,  
ægrosque, nisi mature sopiantur, fere  
conficere.

Si in similibus casibus usui cicutæ  
aliquis, minus expertus, tenaciter inhæ-  
reret, certe ægrum pessum daret.

In quo casu optimum effectum ex-  
pertus sum ex cortice peruviano, si in de-  
bita quantitate, & debito tempore nimi-  
rum in remissione exhibeat.

Hujus enim virtus acrimoniam tem-  
perandi, cicurandi, febresque dictas so-  
piendi, omnibus practicis hoc tempore  
nota est, ut jam superius s̄epius di-  
ctum fuit.

Præterea observavi, quod ex usu cicutæ solito sæpius, & solito vehementius hæmorrhagiæ in parte cancro affecta urgeant; unde non tantum vires, sed & succi inquilini in ægris exhauriuntur.

Ex quibus sequentia Corollaria deduci possunt.

### COROLLARIUM I.

Quod cicutæ propter vim solventem, qua pollet, in omnibus illis affectibus conveniat, in quibus spissitudo, & crassities humorum prædominatur.

### COROLLARIUM II.

Quod tumores scirrhosi, & cancri occulti ex usu cicutæ longe citius, quam sibi relieti ad suppurationem tendant.

CO-

**COROLLARIUM III.**

Quod ulceræ cancroſa ex uſi cicu-  
tæ exasperentur, inflammentur, ma-  
gisque ad ſuppurationem vergant,

**COROLLARIUM IV.**

Quod cicuta noſtras videatur ſpecie  
diſſere ab illa, a qua tot neces illatas  
fuſſe perhibent. Autores fide digni.

Primum corollarium facile concipitur  
ex principiis acribus, activis, & pene-  
trantibus, quibus cicuta conſtat. Qua  
ex ratione conduceat, ubiunque ſpiſſitudo  
humorum peccat; ſive talis hæreat in  
vafis lymphaticis, ſive ferofis, aut in  
nervis ipfis.

Quapropter convenit in omnibus tu-  
moribus œdematoſis tam internis quam  
externis. In omnibus viſcerum obſtru-  
ctionibus.

Item in affectibus articulorum, ut arthritide. Quam ob rationem Mayerne, celeberrimus quondam Practicus, pilulis arthriticis ex cicuta felici cum evenitu utebatur.

Item in morbis oculorum egregiam opem fert, si spissitudo humorum ad tales disponat. Sic enim præcavet, a cataracta, & gutta serena.

An vero cataractam jam factam, & amaurofam præsentem, ut in parte secunda operum D. Magnifici de Störk casus adducti habent, curet, judico, hoc assertum debere prius multis experimentis probari, dein primo confirmari.

Veritas secundi & tertii corollarii deducitur ex illis, quæ in primo dicta sunt; si enim cicutæ principia acria & irritantia sunt, non possunt in illis affectibus admitti, qui ad acrimoniam tendunt, aut in quibus acre prædominatur; uti sunt scirrhi, & cancri tam aperti quam

quam occulti ; neque enim potus diluens quisunque fuerit assumptus diluere & obtundere hoc acre potis erit.

## CASUS. XIV. ET ULTIMUS

## CCCXII.

Adolescens N. N. 17. circiter annos natus corripiebatur inopinanter copiosissimis variolis confluentibus , quæ quamvis multum negotii medentibus faceſſerent , nihilominus tamen æger feli-citer attigerat trigesimam morbi diem , qua perfecte quoad omnes functiones valere videbatur.

Die circiter quinquagesima a princi-pio morbi inceperat conqueri de intenso dolore capitis , tempora , & frontem oc-cupante , qui de die in diem augebatur , ægrumque inquietissimum , insomnemque reddebat . Quamvis tam externa topica , epispaſtica , quam interna diluentia , re-

solventia, per epicrasim evacuantia, enemata, pediluvia, phlebotomia, aliaque similia in usum vocata fuissent, nihilominus tamen idem acutissimus dolor perseverabat, donec post octiduum prægressis aliquot violentis sternutationibus, vermiculi aliquot tenues, filamentorum instar duos, tresve polices longi per narres secederet, quorum aliqui achuc leviter movebantur, alii vero immobiles erant. Quo facto æger melius habere videbatur.

Verum tamen aliquot diebus vix lapsis recruduit idem acutissimus dolor.

In quo casu, cum causa, & sedes hujus mali jam nota essent, princeps indicatio, & cura fuit, ut illud, quod in sinu frontali congestum & corruptum hæret, diluatur, mobile reddatur, per narres evacuetur, nidus vermium destruantur, ac tandem pars læsa consolidetur.

In quem finem tam externa, quam interna præstituebantur remedia.

Ex.

Externa erant illa , quæ fronti applicabantur. Tempore acuti doloris applicabantur fomenta ex speciebus emollientibus in lacte coctis. Dum vero dolor filebat , aut remissior erat, apponebatur emplastrum de ranis cum mercurio, aut emplastrum de gummatibus cum affa fœtida & mercurio.

Item lac , aut decoctum hordei cum melle sœpius attrahebatur ad nares.

Ex iisdem vapores, tanquam remedium valde penetrans, ad nares suscipiebantur.

His quandoque, præcipue in dolorum remissione, interponebantur suffitus anthelmintici ex nicotiana , cinabari , aliisque similibus.

Interna autem remedia erant maximum partem antiphlogistica , paregorica , & lenia per alvum evacuantia.

Quibus tandem efficiebatur , ut non tantum prædicti vermiculi , sed & mate-

ria putida, fœtensque copiose per nares secederet, sicut æger a dolore capitis immunis erat.

Dum vero intra unam alteramve hebdomadam prædicta materia in sinubus iterum colliebatur, aderant mox prædicti dolores capitis, qui non nisi facta vermiculorum & materiæ putridæ per nares evacuatione, sistebantur, & sopiebantur.

Hæc molesta & atrox morbi conditio saepius repetebat, & non nisi integro anno transacto sopita & subacta videbatur. Quo tempore, quamvis æger de atroci illo dolore capitis non amplius conquereretur, neque per nares quidquam peregrini ultiro secederet, quoad functiones animales videbatur tamen deficere, & quodam animi mœrore torqueri.

Unde dein contigit, ut post quatuor circiter, ab ultimo doloris accessu, menses, absque causa manifesta sibi ipse noctu violentam inflixerit mortem.

A. N.

## ANNOTATIONES

## Ad Casum XIV.

## CCCXIII.

Ex hac historia discimus, quod variolæ præsertim malignæ sæpe suum virus ad diversas corporis partes deponere consueverint, aliquando enim in partibus corporis externis, ut ex priore casu patet, sunt furunculi diurni, & periculosi; aliquando vero succedunt ulcera maligna totum corpus depascentia.

Si vero tales metastases ad partes corporis internas fiant, affectus eo periculosior exinde exurgit.

In nostro casu videntur reliquiæ materiæ variolosæ in sinu frontali sedem fixisse, quæ successu temporis in suppurationem, & majorem corruptionem degenerabant.

Quare ex nostris de contagio & putredine principiis mirum non est, si hic similes vermiculi geniti fuerint, & tandem per nares successerint; ibidem enim ostendi, quod in materia putrida variolosa tales deprehendantur.

Unde patet sedem acutissimi doloris capitis, & prædictorum vermiculorum fuisse sinum frontalem, qui duos circiter est polices longus, & decem lineas latu, in quo prædicti vermiculi convoluti facile hospitari poterant, donec per foramen ad nares devecti fuissent.

Probabile tamen est, in nostro casu eandem causam, aut in cerebro, aut in ejusdem ventriculis pariter extitisse, unde dein memoriæ, aliarumque actionum læsio derivari debet.

Quin imo ex eadem causa posset violenta mors deduci; in quantum æger exinde in phrenesim raptus sibi ipsi violentas injecerit manus.

Ne

Ne vero hæc, quæ dixi, sine fundamento asserta esse videantur, aliquot exemplis & observationibus, quæ apud probatos Autores prostant, confirmabo.

Sic Muffetus de insectis cap. 30. ait: *Fuit olim in Germania, & Hungaria frequens affectus capitis, atque omnes eo correpti in phrenesim, vel maniam inciderant, mortuisque dissecto cerebro vermiculus inventus est.*

Huc referri debet ille casus, qui in Ephemerid. N. C. Anno 6. & 7. pag. 132. habetur; quod videlicet variolis mania supervenerit.

Thomas Bartolinus cent. 1. histor. 64. dicit: *Lutetianæ puellæ 12. annorum curatis variolis, tantus capit is dolor supervenit, ut trium mensium curriculo nec dormire quiverit, nec quiescere, nullas dolorem inducas concedente, tandem cum tabida obiisset, statim aperto crano, deprehensa fuit universa cerebelli substantia in dextro a reliquo corpore sejuncta, nigra-*  
*que*

que tunica involuta. Rupta tunica nigra vermem nigrum, pilosum prodidit latentem; & alia, quæ ibidem legi possunt.

Præ aliis notabilis prostat observatio, quæ ad nostrum scopum quam optime pertinet in Miscell. curios. dec. 3. Anno 2do obsrv. 53. quæ sic sonat: dum Patavii in Hospitali majori praxi medica occupabar, sese anno 1687. obtulit vir quidam quadragenarius, febre ardente detentus, is, dum judicatus ab hospitali dismissionem obtinuit, jamque singulis gratias agens, finito Missæ Sacrificio discedere decrevit, & ecce jamjam finita missa in hospitali circumcurrere, furere, & clamare, uti phreniticus cœpit, & priusquam illi ulla medicina adbiberi, & in letum reponi potuisset, exspiravit.

Unde omnes attoniti aperuimus cadas-  
ver. - -

In medulla cerebri inumeros vermiculos, non absimiles illis, qui in caseo veteri  
repe-

reperiuntur, cum omnium stupore, undique dispersos invenimus.

Unde ex his aliisque pluribus, quas hic prætero, practicorum observationibus, actionum animalium læsionem, uti & violentam mortem non sine fundamento deducere possumus.

Possem hic fere in numero\$ alios de variolis adducere casus; verum quia, quamvis essent singulares, possent tamen maximam partem ad jam superius allatos referri, ideo hosce tantum selegi, qui pro norma multorum similiūm inservire possint.

Hisce Benevole Lector fruere, & fave.





# ERRATA NOTABILIORA

I N

## TRACTATUS DE VARIOLIS.

- Pagina 42. Linea 2. etiam, loco & jam  
44. - - - 2. suppurantur, loco suppu-  
rabantur.  
49. - - - 10. nunciabantur, loco nun-  
ciabatur.  
52. - - - 19. alborum, rubrorum, loco  
- - - - - albarum, rubrarum.  
103. - - - 13. ægro, loco ægre.  
178. - - - 15. idem, loco item.  
191. - - - 7. relinquat, loco relinquant.  
278. - - - 9. secederent, loco secederet.  
282. - - - 4. fecesserint, loco succe-  
ferint.







Narodna in univerzitetna knjižnica  
v Ljubljani

516483  
2